NOVÆ, VERÆ ET EXACTÈ AD CALCVLM ASTRONOMICVM REVOCATÆ CHRONOLOGIÆ,

SEV TEMPORVM AB ORIGINE MVNDI SVPputationis, capita præcipua, quibus tota temporum ratio continetur.

ET INNVMERABILES OMNIVM CHRONOLOGOrum errores deteguntur.

È MVSEO

IOANNIS GEORGII HERWART AB HOHENBVRG, V. I. D. EX ASSESSORE SVMMI TRIbunalis Imperatorij, & ex Cancellario ſupremo Sereniſ.mi vtriuſque Bauariæ Ducis, ſuæ Seren.mæ Celſitudinis Conſiliarij ex intimis, Præſidis prouinciæ Schuabæ, & inclytorum vtriuſque Bauariæ Statuum Cancellarij.

Monachij Bauariarum,

EX OFFICINA NICOLAI HENRICI.

M. DC. XII.

NOVÆ, VERÆ ET EXACTE AD CALCVLVM ASTRONOMICVM REVOCATÆ CHRONOLOGIÆ, SEV TEMPORVM AB ORIGINE MVNdi ſuppurationis, capita præcipua, quibus tota temporum ratio continetur, & innumerabiles omnium Chronologorum errores deteguntur.

CAP. I.

DOMINVM noſtrum IESVM CHRISTSM eo ipſo amo Iuliano currente, quem hodie paſſim, & vndique poſt natiuitatem Chriſti primum appellare, & numerare ſolemus, & incarnatum & natum eſſe probabimus.

CAP. II.

Amos ante Chriſtum vocamus, illos annos Iulianos, qui ab epocha Chriſti retrò numerantur, hoc eſt, qui præcedunt initium diei primæ Ianuarij, quæ primum annum Chriſti nati vulgarem inchoat.

CAP. III.

Anno Mundi 3955. deſinente vulgarem epocham Chriſti ſignamus, idque firmis & ſolidis argumentis confirmabimus.

CAP. IV.

Deſinente anno vrbis Romæ conditæ, Valerio Antiati, Tito Liuio, & autori, qui eius epitomen conſcripſit, M. Terentio Varroni, Valerio Meſſalæ, Seruio Sulpitio Iu-

reconsulto, L.Floro, & sæpenumerò Eutropio, atq; Pæanio, & vetustissimis alijs authoribus 744: Tabulis Capitolimis, & qui eas sequuntur 747: C.Plinio, C.Cornelio, Tacito, Dioni Cassio, Nicæo, & qui horum sententiam amplectuntur, 748, & quidem, (vt certum indicem atque titulum assignemus) D. Lælio Balbo, & C.Antistio Vetere Consulibus: atque adeò integro quinquennio tardius, quàm hactenus fuerit existimatum, vulgarem epocham Christi incidere, præter & contra omnes omnium Chronologorum opiniones, rationibus demonstrabimus certissimis, & calculo astronomico verissimo.

CAP. V.

Omnes omnium locorum, temporum & nationum Authores, qui de ratione temporum antiquorum scripserunt vetustissimi perinde atque recentissimi quique, nemine penitus eorum, quod quidem sciam, excepto, annos menstruos, bimestres, trimestres, potissimum verò quadrimestres, semestres atque decimestres pro annis vertentibus Solaribus, sed perperam acceperunt, atque hac ratione erroribus sese maximis inuoluerunt, vti nullo negotio primus ostendam.

CAP. VI.

Assyriorum Regem antiquissimum Belum, Nini patrem 725. ante Christum annis regnum iniisse; & quidem vertentibus integris ac solaribus; atq; adeo mille quadringentis præter propter serius, quàm hactenus passim pudendo lapsu existimatum sit, intrepidè asseueramus.

CAP. VII.

Sesocum, seu Sesostrem Ægypti Regem celebrem annis ante Christi natalem 880, & quidem ante Athenas conditas; atq; Beli regnantis initiũ, Troiamq; captam traiecisse classe in Syriam, rerum gestarum ordine, præterquam à

Chro-

Chronologis hactenus ſtatutus fuit, nunc correcto, cùm autoritatibus, tum rationibus declarabitur.

CAP. VIII.

Triennalem illam in *Tharſis* & *Ophir* expeditionem claſſemq́ue nauticam Hirami Tiriorum, & Salomonis Iudæ ac Iſraëlis Regum auſpicijs factam & vſurpatam, de nauigatione ad Tarteſſum, & πέρα ſeu Perù trans Oceanum accipiendam eſſe: adeò, vt India Occidentalis, quæ nouus Orbis hodie dicitur, illis temporibus innotuerit, atque nomina Eliſij Campi, inferni, regniq́ue Platonij habuerit; compluribus, perſpicuisq́ue oſtendemus argumentis; vt rerum antiquiſſimis temporibus geſtarum, fabularumq́ue velis & ænigmatibus inuolutarum veritas, vel ſerò dehinc eluceſcat.

CAP. IX.

Homeri Odyſſeam de nauigatione item in Occidentalem Indiam, nobiliſſimæ hypotheſeos argumento conſcriptam eſſe; nouennesq́ue Vlyſſis errores nauigationem quadrimeſtrium annorum nouem, ſeu triennium ſolare denotare, reddemus manifeſtum.

CAP. X.

Rex Cretæ Minos, qui θαλασσοκρατούντων claſſe nautica depugnauit primus; quòd nono quoque anno ad colloquium Iouis admiſſus ſit: Legesq́ue à Ioue acceptas Græcis tradiderit princeps; id quoque de nouem annis quadrimeſtribus, ſeu ſolari triennio, atque de eâdem trienni in Tharſis & Ophir claſſe capiendum eſſe, declarabitur.

CAP. XI.

Imò eadem triennis nauigatio, adumbratur Heſiodea illa veteriq́ue fabella; vbi fabulatur Heſiodus, Deorum delinquentium pœnam eſſe nouem annorum (quadrimeſtrium) relegationem; quibus quidem ab omni cœli, cœlitumq́ue communione, vſu, ac conuictu ſegregentur, ambroſiæ item dapibus, ac nectaris hauſtu priuentur.

CAP. XII.

Eôdem reſpicit vetus illa de Lycaone, & Arcadibus fabella, quæ illos ob ſua ſcelera in lupos refert deformatos, atque poſt nouem annos, quadrimeſtres nimirum, priſtinæ formæ humanæ redditos.

CAP. XIII.

Ex eâdem triennali nauigatione originem duxiſſe docebimus, quod olim apud Delphos (ad Criſam, vbi quondam Apollinis fuit nauale) frequentiſſimo Græciæ conuentu in Apollinei numinis honorẽ Delphis, triumque, ſeu nouem Muſarũ, trium illa Pythiadum nouennalium cantus tibiarumúe nobiliſſima certamina, nono quouis anno, quadrimeſtri ſcilicet, fuêre celebrata: atque eodem etiam nono anno tabernaculum in arca ſolenniter excitatũ eſt: eodem itidem nono anno tres ἐννεαετηρίδες, σεπτήριον, ἡρωῒς, & χαρίλα habitæ: Nono demum anno ἀρχιθέωρος cum pueris nobilibus à Delphis in Theſſalica vſq; Tempe magna cum celebritate ac panegyri miſſus, atque honorificè fuit deductus.

CAP. XIV.

In eiuſdem triennalis nauigationis memoriam Illyricos nono quouis anno, quadrimeſtri ſcilicet, Neptuno Equeſtri quaternos equos in mare miſiſſe, obtuliſſeq; cenſemus.

CAP. XV.

Ob eandem nauigationem nono quouis anno (quadrimeſtri) redeuntem, Boues illas (naues videlicet boum appellatione inſignitæ) quæ Homero quoque ſolis, ἠελίου videlicet, Ionibus ἀελίου, eſſe, illique dicatæ dicuntur, ἐννεαπζομένας, hoc eſt nono quouis anno in orbem redeuntes, Callimacho vocari, non dubitamus.

CAP. XVI.

Nouennalia Daphnephoriorum, ex Arne Bœotiæ Vrbe longè omnium antiquiſſima, exorta, & ſolenni pompa ad Apollinem Bœoticum Iſmenium & Galaxium deducta

anno

anno nono quadrimeſtri, ſeu anno quouis tertio ſolari, redintegrabantur: & in ijs, ad imitationem claſſis nauticæ, Daphnephoro præferebatur ſceptrum, ſeu virga oleagina, in cuius ſummo ſphæra maior referebat ſolem; alia minor ex illa dependens, Lunam; rurſus aliæ minores, ſtellas alias; & ex numeris 365 corona, deſignans totidem anni vertentis dies, requiſita ſcilicet ad rem nauticam neceſſaria; idque haud dubiè in memoriam triennalis Salomonicæ nauigationis.

CAP. XVII.

Apollo, ſeruio teſte, à Ioue iuſſus eſt, diuinitate poſita, Admeti Pherarum in Theſſalia Regis (cuius filia Proſerpina) armenta paſcere: hoc eſt, naues, quæ boum, ouium, equarumúe repræſentantur nomine, nouem annis (quadrimeſtribus) hoc vtique triennio ſolari gubernare.

CAP. XVIII.

Bacchus & in Indijs Orientalibus & in Occidentalibus, (ſeu inferno) fuiſſe traditur. Pingitur verò fingiturq; puer; & quidem nonum ætatis annum implêſſe, decimum autẽ attigiſſe, ſcribitur. Ita enim Theocritum accipiendum eſſe reor in Idyllio XXVI. cui titulus Lenæ, ſeu Bacchæ: Id ſanè, item de triennalis huius nauigationis tempore fas eſt accipere.

CAP. XIX.

Diana, vt eſt apud Callimachum, à Ioue in Cretam, inde ad Oceanum nauigans, exinde in Siciliam reuertens, elegit Nymphas, ſecumque duxit comites (naues videlicet) Oceanicas, 60. Creticas verò 20. ἐνδρομίδας καὶ θοὰς κύνας (curſorias, ſeu Lihurnicas videlicet, quæ canum inſtar alia & aliena ſequerentur nauigia) omnes nouennales, nouem ſcilicet annorum quadrimeſtrium illis temporibus vſitatorum, ſiue triennii ſolaris; quæ illius ſolenniſſimę Salomonicæ Tyriæq; nauigationi triennalis eſſent participes, & æmulæ.

CAP.

CAP. XX.

Otus & Ephialtes gigantes, inferiore sui parte dracones, siue serpentes (nauibus, opinor, Oceanicis vecti:) lati 9 cubitos; nouem vlnas longi, (quæ & ipsa latitudo longitudoque nauium, quibus vtebantur, esse videtur) nouem omnino annorum fuisse, hoc est, vti mea quidem stat sententia, huic trium annorum solarium, seu nouem quadrimestrium celeberrimæ nauigationi interfuisse, perhibentur.

CAP. XXI.

Vtrem, seu bouis nouennalis (nauis videlicet, quæ bos dicebatur, & huic triennali nauigationi intererat) corium, cui Aeolus ventorum Rex ventos conclusit, & Vlyssi hospiti supplicique pro duce, ductuq; nauigationis tradidit, chartam, seu membranam, vti vocant, marinam esse, declarabimus. Huic, vt fieri debet & solet, omnes omnium mundi totius partium venti inscripti erant: iuxta quam, beneficio acus nauticæ hodie quoque nauigationum cursus diriguntur.

CAP. XXII.

Rex Cretæ Minos, vt ad eum regrediamur, Athenienses adegit fœdere, vt nono quouis anno (vt Ouidio, Plutarcho, alijsque Auctoribus placet) quadrimestri videlicet, seu tertio solari (& siculo septimo quouis anno, semestri scilicet, ac completo tertio solari) septem pueros, totidemque, vt nonnulli volunt, puellas, in Labyrinthum Cretæ censiis nomine mitterent. Id ego de nauibus accipiendum, & ad triennalem item nauigationem referendum, ostendam.

CAP. XXIII.

Ex harum, & huius generis consimilium rerum vera genuinaque cognitione; veram item, & hactenus ignoratam Deorum gentilium, rerumque ab ijs gestarum; regionum,

num, quas coluere; festorum, in eorum honorem institutorum, vel certè sub fabularum vmbris & inuolucris latitantem cognitionem dependere trademus.

CAP. XXIV.

Linguam Deorum, cujus Homerus alijque Veteres mentionem fecerunt Germanicam, seu Theutonicam illam priscam esse, arbitramur; idque rationibus adfirmabimus.

CAP. XXV.

Anno ante Christum 836. Kalendis ipsis septembribus ἐν πλάτει, pro calculi Astronomici annorum inde emergentium ratione; Athenas esse conditas, annis plus, quàm septingentis seriùs, quàm hactenus existimatũ, docebitur.

CAP. XXVI.

Athenarum conditarum annos priores mille, prætet propter, quadringentos quinq; , cum adhuc populus non nisi in quatuor diuisus esset tribus; non nisi quadrimestres fuisse; ac proinde Chronologos, ijs pro solaribus acceptis & arreptis, sexcentis nonaginta sex annis à vero auiasse, contendimus.

CAP. XXVII.

Cùm Clisthenes Athenis, archonte Isagora, qui notatur, signaturque anno I Olympiadis 68; nobis, anno ante Christum 487 populum Atticum in decem diuideret tribus, exinde annos decimestres ortos, & vsque in annum ante Christum natum 400 perseuerasse tradimus. Quos tamen annos decimestres passim auctores, etiam vetustissimi quique, pro vertentibus integrisúe solaribus magno chronologiæ lapsu assumpserunt.

CAP. XXVIII.

Chronologos proinde ab anno ante Christum 400, non modò porrò, verum etiam retrò, quatuor quibusque Archontibus Atticis integram quadriennij solaris Olympiadem adscripsisse; atque hac ratione, cùm ante Clisthenem sub quatuor tribubus, quarto quouis mense, & post

Clisthenem, sub decem tribubus, decimo quouis mense nouus ἄρχων ἐπώνυμος Athenis fuerit creatus; in multiplicium errorum Labyrinthum inextricabilem se immersisse, ex hac nostra Chronologia manifestum erit.

CAP. XXIX.

Ingeniosorum, doctissimorumque virorum ingenia, etiamnum exercet quæstio cumprimis ardua: & si quidem ea, quæ Chronologi hactenus tradidere, sequamur, indissolubilis. Quâ nam de causa, Olympiadis spacium, quod non nisi quatuor Iulianos complectitur annos, à tot, tamque grauibus, Græcis, Latinisúe auctoribus πεντετηρὶς, seu quinquennium nuncupetur? Imò, quinque annorum esse, tradatur? Nos, noua, vera tamen certaque ratione id factum esse dicimus, habita ad annos decimestres consideratione: ita, vt Olympias re verâ quadriennium Iulianum, & ἐν πλάτει quinquennium decimestre comprehendat.

CAP. XXX.

Idipsum de reliquis item, ijsque quàm plurimis diuersarum appellationum quinquennalibus Veterum festis, & celebritatibus omninò sentiendum censemus. Hinc etiam tutò certoque colligas, quid causæ subfuerit, quod gentes vetustissimæ præcipuis quibusque Heroïbus πεντετηρίδας seu quinquennalia certamina, huiusque generis alia quinquennia ludicra passim instituerint? Vt videlicet, hoc pacto tempora ipsa, pro ratione multiplicium illius æui annorum planè nutantia, incertaque, ad certam aliquam expeditamque formulam, annorum scilicet quatuor, 365. dierum cum intercalari die; vel, quatuor annorum, 360. dierum cum 21. diebus intersititijs, redigerent.

CAP. XXXI.

Ἀνομβρία, seu terræ siccitas, ex roris pluuiarumq; defectu diuturno coorta, sub Achabo Israëlis Rege (qui ante Chri-

Chriſtum natum 822. regnare cœperat) contigit; ὅτι, uti S. Lucas loquitur, ἐν ταῖς ἡμέραις ἠλίου ἐκλείσθη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ ἔτη τρία καὶ μῆνας ἕξ, ὡς ἐγένετο λιμὸς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν; ab Auctoribus Ethnicis incendium & conflagratio Phaëthontis dicta eſt. Eandem orbis ἀνομβρίαν, quæ fuit ſub Erichtheo Athenienſium Rege; Ægypti etiam nouennalem ſterilitatem (nouem ſcilicet annorum quadrimeſtrium, ſeu triennij ſolaris) ſub Buſiri Ægypti, & Pygmaleone Cypri Rege; & αὐχμὸν ἐτῶν ἐννέα, ἐν οἷς οὐχ ὗεν ὁ θεός, ſiccitatem annorum nouem, quibus non pluit Deus; vt reliqua flumina, præter Chryſorrhoam Troezenium, teſte Pauſania, fuerint exſiccata; quin & σιτοδείην, annonæ difficultatem & caritatem annorum decem & octo (trimeſtrium videlicet, ſeu triennij ſolaris) ſub Aty Rege Lydiæ: item αὐχμὸν πολυχρόνιον, diuturnam ſiccitatem ſub Æaco Æginæ, ac Minoë Cretenſium Rege factam; variè ita appellari; hoc ipſiſſimo tamen tempore contigiſſe, ex ipſa temporum ratione, ac geſtarum rerum ſerie, comprobabimus. Lucæ 4.

CAP. XXXII.

Pluuiam illam grandem, gratamque, quæ poſt ſiccitatem illam triennem, cuius mentio 3. Regum 18. v. 1. 41. & 45. ab Ethnicis autem hiſtoricis Diluuium, ſeu inundatio Deucalionis vocatur, tum etiam eueniſſe, reddemus manifeſtum.

CAP. XXXIII.

Carthaginem magnam non niſi annis ante Natalem Chriſti 778. conditam eſſe ſtatuemus. Atqui Poëtarum vetuſtiſſimi Næuius & Ennius, vt ex fragmentis eorum colligere licet; quin & P. Virgilius, Ouidius, Silius, eoſq; ſecutus Appianus Alexandrinus, diſertè tradunt; Carthaginē, antequā capta eſſet Troia, conditā: cùm tamen id omnib' tam priſcis, quàm recentioribus paſſim repugnet Chronologijs: adeò, vt Græcus Auctor Anonymus 4. Epigramm.

Græc.lib., & Macrob. Saturnal. 5.cap.17, & Auson. in Epigrammate quopiam, cum ijs etiam Seruius, non dubitarint Virgilium, cæterosque sententiæ huius Auctores damnare erroris. Nos verò id, quod hac Chronologia nostra decernemus, longè esse verissimum, ostendemus.

CAP. XXXIV.

At Troiam ante Christum natum anno demum 712 fuisse captam, annis nimirum 470 serius, quam existimatum fuit hactenus; & anno quadrimestri octauo post Troiam conditam, anno videlicet ante Christi natalem 709. die 18. Iulij, solis Eclipsin illam euenisse cuius Homerus in Odyssea meminit, è calculo nostro patebit.

CAP. XXXV.

Non mediocri admiratione dignum videtur, nec id immeritò, Nini Assyriorum Regis potentissimi, penesque historiam Ethnicam celeberrimi, nullam interim in sacris literis videri factam mentionem? vt contrà, æquè mirum videri queat, Tiglath—Phul, —Assari, in sacris literis Regis Assyrij, tam inclyti, profanos scriptores non meminisse. At nos vtrumque Assyriorum hunc Regem, vnum eundemque censemus; & anno ante Christum natum 677 regnasse; imò plus quàm bis mille annis tardius, quàm hactenus de Nino fuit creditum, proditumque, errore profectò portentoso.

CAP. XXXVI.

Nebucadnezarem, qui Græcis Nabuchodonosor, esse Megabaten, seu Megabazum Assyrium, haud infirmis firmabitur rationibus.

CAP. XXXVII.

Salman Assarum, esse Salamenum Assyrium, Sardanapali vxoris fratrem.

CAP. XXXVIII.

Merodacum, esse Medorum Deiocem.

CAP.

CAP. XXXIX.

Ben-Merodaci nomine, eiusdem Merodaci, seu Medorum Deiocis liberos esse accipiendos.

CAP. XL.

Solis sub Ezechia Rege Iuda regressum etiam ab Ethnicis probamus scriptoribus.

CAP. XLI.

Ab eiusdem Ezechiæ Regis morte, ad Christi τὴν ἐνσάρκωσιν, Hebræorum Cabala 600 annos numerat: id certum esse, trademus.

CAP. XLII.

De Homeri ætate authores Veteres passim, mireque variant; Nos, eam controuersiam, è diuersitate item annorum hactenus ignorata coortam, suo loco dirimemus.

CAP. XLIII.

Etiam de ætate Hesiodi disceptatum hucusque, & dissensum. Conciliatio vel auctorum, vel rationum, minimè deerit.

CAP. XLIV.

Regem Iuda Manassen, temporibus demum Cyri Magni; Persarum Regis in Babylonem deportatum; & inde regno redditum, asseretur.

CAP. XLV.

Olympiadum Epocham anno Mundi 3180, & quod consequitur, anno ante Christi genesin currente 776, vti & vulgò fit, statuendam arbitramur.

CAP. XLVI.

Quanquam anno Mundi conditi 3380, atque ante Natalem Christi diem, 576, ἐν πλάτει Calend. Septembr; ab Athenis conditis anno 780 quadrimestri, Epocham Olympiadum, iuxta Atticos Archontes enumeratarum, ostendemus incidere ducentis annis vertentibus seriùs, quàm fuit hactenus proditū, & existimatum. Lacedæmoniorū verò Legum-latorem Lycurgum circa huius poste-

 rioris

rioris, & veræ Olympiadum Epochæ tempora floruisse, probabitur.

CAP. XLVII.

Cùm Elei, Pausania & Diodoro siculo attestantibus, tres Olympiadas, octauam, trigesimam quartam, & centesimam quartam, tanquam ab ijs, quibus fas non esset, habitas, Anolympiadas vocarint, & in Olympiadum Catalogum non retulerint, exinde, opinor, euenit; vt Alexandri Magni mors, quæ Olympiade 114. annoque ante Christum natum 324. desinente re vera contigit; à pluribus tam Græcis, quàm Syris ac Chaldæis, anno demum ante Christi natalem 312. duodenis nimirum annis signaretur serius.

CAP. XLVIII.

Ab anno primo primi Beli Assyriorum Regis, (qui nobis cum Phul--Bel--Ocho, vnus est, idemque, & anno denique Mundi 3231. ante Christi verò felicem ortum 725. regnum inijt) vsque ad Hierosolymorum desolationem, vnà cum Metasthene Persa, quem Ioannis Annij Viterbiensis nomine indigitant, annos 235. solos vertentes numeramus.

CAP. XLIX.

Proinde, anno Mundi 3465. ante verò Christi natalem 491. currente, anno item Nebucadnezaris Magni 20. Salomonis Regis, Hierosolymitanum templum concrematum esse declarabitur; adeò, vt annus ante Christi ortum 421. septuaginta illorum Hierosolymitanæ desolationis annorum sit vltimus.

CAP. L.

Darium, cuius mentio in Prophetia Danielis, esse Darium cognomento Nothum, seu Syrium, ostendetur.

CAP.

CAP. LI.

Templum Beli in Babylone à Cyro minore ſeu ſecundo, & nequaquam à primo, Magnoque deſtructum fuiſſe.

CAP. LII.

Cyrum item Danielis, eſſe Cyrum ſecundum, ſiue minorem, non autem primum, Magnumque.

CAP. LIII.

Eundem Danielis Cyrum, patre quidem fuiſſe Medum (qua quidem appellatione Medorum, etiam Perſæ comprehenduutur) matre verò peregrina ortum, & quidem Babylonia ſeu Chaldæa, vel certè Syra: atque hanc ob cauſam à Græcis Nothum, Syriumué nominatum, demonſtrabitur.

CAP. LIV.

Bel—Zaſar, quaſi Beles—Aſſar, Prophetiæ Danielis, nobis eſt Beleſis Aſſyrius, qui circa Cyri ſecundi, vel minoris tempora, vel certè, paulò antè, vti vult & Xenophon, Syriæ & Aſſyriæ præfuit.

CAP. LV.

Hæc Danielis cap. 11. v. 2. verba; *Ecce adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus nimijs ſuper omnes, & cum inualuerit diuitijs ſuis, concitabit omnes aduerſum regnum Græciæ:* de Dario Perſarum Rege poſtremo, qui fuit à Dario Notho quartus, cenſemus capienda eſſe. Is enim verè omnium fuit ditiſſimus, ac contra regnum Græciæ (cuius Alexander Magnus primus Rex fuerat) bellum geſſit: nequaquam verò arbitror accipieuda de Xerxe: quippe, qui nec quartus fuit à Dario Medo, ſed nec omnium ditiſſimus; neque contra Regnum, ſed Rempub. Græcorum potius arma mouit.

CAP. LVI.

Idipſum tam ex ijs, quæ præcedunt, colligitur; in-

qui-

quibus agitur de Alexandro Magno primo Græciæ Rege, ſeu Principe, qui illius Perſarum Regis regnum ſit contriturus, & in quatuor ventos cœli; hoc eſt, partes plagaſque diuiſurus; ita vt opus non ſit illam inter Xerxem & Alexandrum Magnum diuturnam vacationem admittere.

CAP. LVII.

A fine itaque ſeptuaginta annorum captiuitatis Iudaicæ, vnà cum anno ante Chriſtum natum 420, ſub hoc Dario Notho & Cyro minore, ab ipſius Archangelis Gabrielis oraculo; vt iterum *ædificetur Hieruſalem*, & 7. & 62. & 70. ſeptimanæ annorum Danielis exactè conſurgunt.

CAP. LVIII.

Ab huius inquam oraculi Archangeli Gabrielis exitu deinceps ſeptem annorum ſeptimanæ deſinunt vnà cum anno ante Chriſtum natum 372, quibus Hieroſolymarum Vrbs rurſus eſt ædificata.

CAP. LIX.

Inde item ſexaginta duæ annorum ſeptimanæ quas D. diuinusq; Propheta Daniel ad Chriſti, ſeu Meſſiæ aduentum diſertè numerat, deſinűt exactè vnà cum anno Chriſti decimoquarto, ab Natali ſcilicet Chriſti anno duodecimo exacto, ipſo illo tempore, quo Chriſtus (Luc. 2. v. 42.) docere cœpit in templo in medio Doctorum ſedens, audiens, diſſerensque. Admirabantur iam tum turbæ doctrinam ipſius cœleſtem, lucemque Euangelij.

CAP. LX.

Cùm igitur Ducatus & Euangelij Chriſti initium, ſeu aduentus Meſſiæ, cùm à D. Daniele, tum à S. Luca ſignetur anno Chriſti nati duodecimo exacto nimirum, ſiue anno ab ἐνσαρκώσει Dn. N. IESV CHRISTI decimoquarto currente, in conſiderationem venire poſſunt, quæ S. Paulus de viſionibus & reuelationibus ſuis 2. Cor. 12. v. 2. refert hiſce; *ſcio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim.*

CAP.

CAP. LXI.

Sed & ſeptuaginta annorum ſeptimanæ, quas Daniel ſuper Iſraëlis populum, & Vrbem ſanctam abbreuiatas eſſe dicit, deſinunt exactè vnà cum anno Chriſti 70, quo Titus Imperator Iudæis debellatis, Hieroſolymorum Vrbem, templo ſancto exuſto, vaſtauit.

CAP. LXII.

Iudaicum autem hoc bellum cœpit annis tribus cum dimidio, ante hanc templi poſterioris concremationem; ita vt iuxta oraculum D. Danielis; *in dimidio hebdomadis*, vltimæ videlicet, *defecerit hoſtia, & ſacrificium, & fuerit in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem & finem perſeuerans deſolatio.*

CAP. LXIII.

Qua quidem ratione omnes Danielis, videlicet ſeptem, ſexaginta duæ, & ſeptuaginta ſeptimanæ, vna cum dimidio ſeptimanæ vltimæ, iuxta Danielis vaticinium, re ipſa ad punctum planè, atque exactiſſimè demonſtrantur: vt annorum illa vacatio, vaſtitaſque, quam ab ætate Danielis & Cyri Magni ad Darium vſque Nothum interijcere, ac interſerere ſolent Chronologi, tandem è medio mittatur. Longum, tædioſumque, & forte inuidioſum etiam foret, vel ſola recenſere Auctorum nomina, quanquam cæteroquin omni diſciplinarum genere doctiſſimorum, & quidē variorum vt locorum, ita temporum, gentiumque; qui hanc Danielis ſeptimanarum rationē anxiè diu multumque, ſed incaſſum anquiſiuerunt; ſed eam nos tandem, vt ſpero, è tam longæuis tenebris, in veritatis lucem proferemus.

CAP. LXIV.

Perſicorum Regum annos primos, ab Hiſtoricis Græcis, in primis ab Herodoto Hiſtoriæ parente proditos memoriæ; à Cyro Magno, primoque deinceps, dum Athe-

nis adhuc tantummodo quatuor populi tribus essent, perinde vti Atticos annos, aliosque complures Græcos, non nisi quadrimestres fuisse, docebitur.

CAP. LXV.

At annos Regum Persarum posteriores, ab Historicis Græcis item posteritati traditos; ab eo tempore, quo Clisthenes populum Atticum in decem tribus instituit, vsq; ad annum ante Christi natalem, circiter 400. perinde, vt & Atticos, tantum decimestres fuisse probabitur.

CAP. LXVI.

Omnes, Græci Latinique, imò & Barbari, vel Historici vel Chronologi, tam editi, quàm non editi, cum vetustissimis Veteres, recentes cum recentissimis, qui annos omnes, seu quadrimestres, seu decimestres, pro solaribus vertentibus acceperunt hactenus; vnde illius seculi tempora, Regumq; Persarum annos, resque tum temporis Veterum Græciæ Sapientum, & Philosophorum gestas, in maximas innumerabilesque difficultates, & antilogias, & velut in Cymmerias quasdam coniecerunt tenebras: eas nos, diuersitate annorum declaratâ & ostensâ, facili, ac veluti nullo negotio dissipabimus.

CAP. LXVII.

Nemo fuit huc vsque Chronologorum, qui totalem illam solis eclipsin, quæ, Herodoto in Polymnia teste, Sardibus Lydiæ illo ipso euenit tẽpore, quo Xerxes in Græciã cum expeditione sua memorabili traiecit, ostẽdere potuit penitius, vel explicare. Sol enim tum apparere desijt, cum nullæ nubes obstarent, sed Serenissimus esset aër. At nos, ex eâdem diuersitate, differentiaq; annorum, beneficio calculi Astronomici; eam Eclipsin anno ante Christum natum 463. &, quod consequitur, 17. annis seriùs, quàm hactenus fuit existimatum, traditumq; ita vt Historiarum idem pater ibidem tradit, euenisse, demonstrabimus.

CAP.

CAP. LXVIII.

Persarum Rex Cambyses anno regni sui secundo expeditionem in Ægyptum suscepit. Id, mea quidem calculatione ac sententia factum anno ante Christi Natalem 493. Atqui Ezechiel. 30. v. 18. habetur; *Et in Taphnis nigrescet dies, cum contriuero ibi sceptra Ægypti.* Constantinopolitanum quoque Chronicon M S. quod Fastos siculos appellitant, anno Cambysis secũdo solis hanc Eclipsin signat. In hac igitur nostra Chronologia calculi Astronomici subsidio demonstrabimus, Solem tum temporis tota sui parte defecisse ibidem.

CAP. LXIX.

Oraculum illud Danielis 4. v. 22. *Septem tempora mutabuntur super te; & eÿcient te ab hominibus, & fœnum vt bos comedes;* Nabuchodonosor; seu Nebucadnesari prædictum ita eidem euenisse, ex ipsis Ethnicorum historicorum probabimus monumentis.

CAP. LXX.

Vrbem Romam ante Christum natum 573. circiter initium Iulij; & quod sequitur, annis centum octoginta serius, quàm hucusque fuit existimatum, esse conditam, nouis, probisque docebimus hic rationibus.

CAP. LXXI.

Trecentos, quatuorq; V. Romæ Conditæ annos priores, (iuxta rationẽ Tabularum Capitolinarum, quas constantis doctrinæ causa deinceps capi, & intelligi etiã volumus) non nisi semestres fuisse; & quidẽ annum V.C. 243. Regum vltimum, cum anno 244. Consulum primo, in vnum annum semestrem esse confusum permistumque. Anno ante Christi natalem 452. annis 56. tardius, quàm hucusque, vel traditum, vel existimatum est, primi Romani Consules fuêre, L. Iunius Brutus, & in locũ Tarquinij Collatini, qui abdicauit, subiectus P. Valerius Poblicola.

Desinit autem eôdem ante Christi natalem anno 452. annus 4. Olympiadis 81. quo anno in Eusebij, & S. Hieronymi Chronico habetur; *Romæ celebrior centesimus primus Agon actus*: & Censorino teste, *primos ludos seculares, exactis Regibus*, post Romam conditam annis 245. à Valerio Poblicola fuisse institutos, Valerius Antias tradidit.

CAP. LXXII.

Dionysius Halicarnasseûs, & post eundem Tit. Liuius, alijque Romanæ rei scriptores, quòd V. C. annos priores sub Regibus & Cōsulibus primis transactos, pro annis vertentibus solaribus acceperunt, nolentes volentes, ipsa rerum necessitate vrgente, vnam atq; alteram ætatem, præter Auctorum omnium traditionem interserere sunt adacti. Quam nos in Chronologia nostra euitamus absurditatem; dum annos illos non nisi semestres, vti erant, constituimus.

CAP. LXXIII.

Romana quoque lustra, trecentis & quatuor V. C. annis prioribus celebrata, anno demum octauo tum Romæ vsitato, hoc est, quarto solari, more Olympiadum condita fuisse, asseueramus.

CAP. LXXIV.

Ludos Romanos seculares, centesimo quoque anno Romæ celebrari solitos, ab Hebræorum Iubilæis quinquagesimo anno solari vertente actis causam, & originem primam tum duxisse; cùm quinquaginta Hebræorum anni solares vertentes, annos semestres, tum Romæ vsitatos, centum redderent, rationibus probabimus compluribus.

CAP. LXXV.

Anno V. C. 37. desinente, seu anno, & quidem semestri, regni Romuli vltimo, ineunte videlicet anno ante Christum 554. Sol in 22°. 13′. Piscium, Romæ, post meridiem

ridiem vnius horæ 44'. 49''. defecit digitis 8. 58'. seu tribus quartis.

CAP. LXXVI.

Vltimum semestrem V. C. annum statuimus, (& quidem iuxta Tab. capit.) 304. quo Decemuiri, ob leges nouas ferendas creati, magistratu moti abière.

CAP. LXXVII.

Qui Decemuiri pro legatione tum Athenas missi sunt; cùm annus decimestris ibidem in vsu esset: proinde, annum etiam illum decimestrem Romanis tum induxerunt: ita, vt ineunte circiter anno ante Christum natum 421 primus quoque decimestris annus Romæ fecerit initium: Ex eóque tempore cœperunt Romæ Lustra anno quinto decimestri, hoc est anno quarto solari, seu vertente, celebrari.

CAP. LXXVIII.

Ex illo autem tempore, annis 99. decimestribus actis & peractis; currente ante natalem Christi anno 342. desijt V. C. 403. decimestris vltimus: cœperuntque Romæ anni solares, iuxta rationem Cycli decennouennalis, adeò, vt procurrente anno ante Chtistum natum 341. desierit annus V. C. 404. & sic deinceps vsque ad V. C. annum 600.

CAP LXXIX.

Cùm annus V. C. 599. desinere debebat anno demum ante Christum 144. desijt tamen vnà cum anno ante Christum natum 145. siquidem, quod Hispani rebellassent, & Comitia maturata sunt: & noui Consules, Comitijs peractis, continuò magistratum inierunt. Abhinc ad annum vsque ante Christi natalem 40. (quem Iulianum annum primum esse probabimus) in annis V. C. tres anni redundant: seu, quod in idem redit, anni V. C. deinceps 105. minores sunt solaribus annis 105. trium annorum solarium quantitate.

CAP. LXXX.

Quot Ordinariorum Coss. creata sunt paria; totidem anni V. C. numerati; vt bini quique Coss. Ordinarij, annum quoque V. C. sibi vendicent peculiarem. Ideoque plures concurrere potuerunt causæ; ex quibus dicti anni V. C. 105. quantitate triennij solaris minores, à spatio 105. annorum Vertētium deficerent: Et quod noui creati Coss. anno priorum Coss. non elapso magistratum inirent; Et, quod aliqui fortè, quanquam Ordinarij Coss. vitio tamen creati essent; vel aliam ob causam aliquam, vti anno V. C. 601. contigit, quòd ante tempus magistratu se abdicarint; aut, quòd mensis intercalaris sæpius fuerit omissus: cùm, vel Macrobio teste, tempus fuerit, quo ob superstitionem aliquã iniectam, intercalatio omnis intermissa fuit. Quod si in annis Lunaribus (duodecim videlicet Synodicorum mensium) 107. nullus intercaletur mensis, tunc isti anni 107. solos 104. annos solares reddunt.

CAP. LXXXI.

Qua ratione prior pars anni primi solaris Romæ, anni videlicet V. C. 404. incidit in posteriorem partem anni ante Christum natum 342. & annus V. C. 409. priore sui portione in posteriorem partem anni ante Christi natalem 337. coincidit.

Sanè anno illo, Liuio, Macrobio, Plinio testibus, cùm Calendis Iulijs dedicata esset ædes Iunonis Monetæ, dedicationem ipsam mox istuc secutum est prodigium. Nam *nox interdiu visa intendi.* Calculus certè Astronomicus ostendit solem in 17. 7. 16. Cancri Romæ post meridiem horis 8. 15. defecisse digitis 10. 10: cœpisseq; defectum ipsius horis à meridie 5. 17; eundemque desijsse horis 7. 15. Cum sol ipse horis 7. 26. demum occiderit. Nec itaque immeritò, nox tum interdiu (antequam videlicet sol occubuisset) intendi visa.

CAP. LXXXII.

Quo etiam pacto annus V. C. Tab. Cap. 536. incidit in annum ante Christi Natalem 209, octo quidem annis tardius, quàm vulgares Consulum Fasti præ se ferunt. Et sanè, hoc ipso anno Liuius, & Iulius Obsequens inter prodigia in hyeme, antequam Ver appeteret, facta, referunt. *In Sardinia*, vt vult Liuius, vel *passim*, (vti vult Obsequens) *Solis orbem minui visum; & Arpis Solem cum Luna pugnantem esse spectatum.* Silius quoque Italicus, (quanquam, vt Poëta) tradit, *in Calabria & Apulia, tenebris densis, & immensis repente subductum esse diei lucem.* Calculus certè Astronomicus ostendit, Solem tum, cum Ver appeteret, in 2°. 1'0. Piscium in Sardinia post meridiem horis 2°. 12'. 43". defecisse digitis 9°. 50'. 27". &, quod sequitur, $\frac{5}{6}$ ferè diametri partes fuisse obscuratas.

CAP. LXXXIII.

Quo item pacto Lunæ Eclipsis, quam Polybius signat anno vno, vel certè paulò amplius, ante hoc tempus; exactè si putemus, incidit in annum ante Christi natalẽ 211. exeuntem: quo quidem anno, nocte illa, qua desijt 12. & inchoauit 13. dies Octobris, calculus Astronomicus insignẽ Lunæ defectum monstrat, octo item annis serius, quàm vulgares Consulares Fasti exhibeant.

CAP. LXXXIV.

Quin & annus V. C. 563. priore sui parte incidit in posteriorem partem anni ante Christum natum 183. Et sanè illo anno, Liuio referente, per eos dies, quibus est ad bellum profectus Consul, Ludis Apollinaribus, ad quintum Idus Quintiles, cœlo sereno, interdiu, lux est obscurata, cùm Luna nimirum solarem orbem subijsset: calculus quippe Astronomicus ostendit, Solem in 22°. 40'. 35". Libræ, Romæ ante meridiem horis 1°. 15'. 32". defecisse digitis 8. 4'. & quod consequitur, plus quàm $\frac{2}{3}$.

CAP. LXXXV.

Sed & annus V. C. 565. sui exitu, in annum ante Christum natum 180. incidit. Certè, illo ipso anno, priusquam noui magistratus in prouincias proficiscerentur, supplicatio triduana pro Decemuirorum Collegio fuit imperata in compitis, foris, & triuijs; eò quod inter horam tertiam & quartam diurnam tenebræ fuerant obortæ; Liuij, & Obsequentis concordi sententiâ. Atqui calculus Astronomicus commonstrat solem in $20^{\circ}. 0^{\circ}$. Leonis, Romæ ante meridiem horis $2^{\circ}. 12^{\prime}$; seu, hora die $2^{\circ}. 33^{\prime}. 57^{\prime\prime}$; atque, quod sequitur, inter horam diei tertiam fermè, ac quartam, hoc ipso scilicet diei tempore, quod Liuius & Obsequens ponunt, defecisse digitis 7. $48^{\prime}$. hoc est, ferè $\frac{2}{3}$. Anquirat vel anxius aliquis, qui volet, & cui vacat, in complures, vel porrò, vel retrò annos: haud aliã inueniet eclipsin solis huic quidem historicæ traditioni congruentem; quæ nimirum inter horam diei tertiam ac quartam ferè contigerit.

CAP. LXXXVI.

Hac item ratione annus V. C. 585. postrema sui parte incidit in annum ante Christum natum 160. octo etiam annis tardiùs, quàm vulgares consulares Fasti repræsentãt. Certè, illo anno, nocte, quam pridiè nonas septembris insecuta est dies, Luna defecit ab secũda hora vsque ad quartam noctis, circa Pydnam Macedoniæ, vt habet Liuius, & alij, qui cum eôdem sentiunt, historici: id quod calculus item ostendit Astronomicus, inchoante scilicet anno ante Christum 160. Sole in $4^{\circ}. 51^{\prime\prime}. 34^{\prime\prime}$. Aquarij versante, Lunam ibi adeò defecisse, vt horis ante mediam noctem $4^{\circ}. 34^{\prime}. 30^{\prime\prime}$. cœperit eius defectus; $3^{\circ}. 28^{\prime}. 14^{\prime\prime}$. tota tegi cœperit; $2^{\circ}. 47^{\prime}. 47^{\prime\prime}$. medius defectus fuerit; $1^{\circ}. 53^{\prime}. 20^{\prime\prime}$. desierit tota obscurari; & $0^{\circ}. 47^{\prime}. 4^{\prime\prime}$. rursus pleno orbe nituerit: ita, vt, sententia Liuij, ab secunda ad quartam vsq; noctis horam Luna defecerit.

Per-

Peruestiget etiam hoc loco, cui lubuerit, plurimos tam antrorsum, quàm retrorsum annos; aliam nullam descriptioni huic conuenientem Lunarem inueniet Eclipsin: ita, vt hæc ipsa sit Eclipsis Liuiana cuius tempus & modum tam disertè historicus expressit. Adeò, vt hæc nostratia χρονολογικὰ dogmata, hisce sex diuersis cœlestium luminarium Defectibus, anni ante Christum natum 337, 211, 209, 183, 180, & 160. tanquam firmis fundamentis tutò queant inniti. Quibus quidem Eclipsibus sex accedat licet septima & octaua. Nam Plin. l. 2. c. 33. inquit; *C. Cæcilio, Cn. Papyrio Coss.* (anno scilicet V. C. Tab. Cap. 640. anno ante Christum natum iuxta vulgares Consular. Fastos 113) *lumen de cælo noctu visum: vt diei species noctu luceret.* At Astronomicus calculus planum facit, octo annis tardius, Anno scilicet ante Christum 105. currente, solem in 12°. 3'. Aquarij, Romæ post meridiem horis 4°. 2'. defecisse digitis seu punctis 11. 2'. cùm centrum solis demum horis 4°. 59'. post meridiem Horizontem subiret; & per reflexionem etiam tum 34'. suprà Horizontem cerneretur. Etiam Iulius Obsequens refert; C. Mario, Q. Lutatio Coss. (sicq; anno V. C. Tab. Cap. 651. anno ante Christum natum, vulgaribusque Fastis, 102) *in Gallia, in castris lux nocte fulsit.* Atqui demum anno ante Christum natum 94, adeoque annis octo tardius, quam Fasti Consulum vulgares exhibeant, sol in 2°. 44'. Cancri, circa fossas Marianas, horis post meridiem 4°. 20', defecit digitis 8. 58'. sicque ferè $\frac{3}{4}$. Itaque circa isthæc tempora, anni V. C. seu quæque Ordinariorum Coss. paria, annis octo tardius incidunt, quàm vulgò huc vsque existimatum est. Et quidem in margine metaphraseos Pæanij in Eutropij Romani historiam M S. in Bibliotheca Bauarica; vbi in contextu habetur anno V. C. 301. Decemuiros cœpisse; adscribitur Anno V. C. 301. 84. Olympias: cùm aliòquin iuxta vulgarem Chronologiæ rationem,

tionem, anno illo exactè incidat Olympias 82. Sic, vti habetur ibidem, Anno V. C. 365. proximo anno post Romam à Gallis captam, Sutrium à Camillo captum, Volscosque esse domitos; anno huic V. C. 365. ad marginem adscribitur Olympias centesima, cùm annus ille iuxta vulgarem Chronologorum supputationem, ritè incidat in primum annum Olympiadis 98; sicque octo annis iusto citius.

CAP. LXXXVII.

Sic annus ante natum Christum 311. è Calend. Octobribus consurgens, primus est post mortem Alexandri Magni, iuxta Catalogi Olympiadici Eleorum rationem, & iuxta Syros & Chaldæos: imò & Liuium cui incidit in annū V. C. Tab. Cap. 434. Eum certè annum Liuius post mortem Alexandri Magni *primum* statuit; dum virtutem fortunamque Romanorum Alexandro Magno, si superuixisset; & arma, perdomita iam Asia, in Europam vertisset, opponit.

CAP. LXXXVIII.

Elapsis post Alexandri Magni mortem, iuxta Chaldæorum calculum, annis centum quinquaginta; currente anno V. C. 585; & ante Christum natum 161. desinente, Perseûs, Macedonum Rex vltimus à Romanis victus est: vt Liuius haud falsò tradiderit; *regnum illud à summo Fortunæ culmine, ad finem vsque, centum quinquaginta annos stetisse.*

CAP. LXXXIX.

Annus ante Alexandri Magni obitum, Chaldæorum Chronographiâ octauus, quo videlicet Alexandria Ægypti est condita, incidit in annum V. C. iuxta Tab. Cap. 727. Quo ipso anno etiam Liuius, Solinus, Cassiodorus, aliją; Alexandriam Ægypti conditam asserunt.

CAP.

CAP. XC.

Sed tamen hic idem annus octauus ante mortem Alexandri Magni, tum vulgari veraque Olympiadum epocha, tum ratione ipsa testante duodecim annis citius, anno scilicet V. C. 415. incidit; quo & Eutropius Alexandriam refert conditam. Sic & annus V. C. Tab. Cap. 385. nostra sententia, incidit in Olympiadem 106. anno ante Christi natalem 356 habitam; sub qua Alexandrum Magnum esse natum, tradunt omnes; cumprimis Cornelius Nepos & Solinus.

CAP. XCI.

Sed & Liuius annum V. C. 443. semel iterumque, & quidem ritè, centesimum vocat annum ab anno V. C. 319. Est enim iuxta hanc nostratem Chronologiam centesimus annus solaris; cùm sit alijs aliâs centesimus vicesimus quartus.

CAP. XCII.

Verùm, vt omnis temporum ratio ab anno V. C. 404; quo solares anni Romę in vsu esse cœperunt, dehinc in epitomen aliquam, & synopsin redigatur; Obseruandum in primis est; ab Augusti morte, ad vsq; Neronis mortẽ, quinque paria Consulum suffectorum pro Ordinarijs in Fastos Consulares esse relata; & hac ratione in hoc interiecto spatio quinq; annos Fastis vulgaribus perperam esse interpositos: atq; adeò Consules ante Augusti obitum retrò quinque annis citius in Fastis exhiberi; & contra, Epochã Christi, iuxta hosce vulgares Fastos in eos incidere Consules, qui re ipsa quinque annis tardius fuêre Consules.

Secundo loco obseruandum ab anno V. C. 600; prætereà propter, ad initium vsque annorum Iulianorũ, annos V. C. triennio integro breuiores esse Vertentibus; ita vt pro annis solaribus accepti, triennio integro solari redundent; ideoque vulgares Fastos, qui hos omnes annos pro

ſolaribus integris annis accipiunt, eos Conſules, qui annum V. C. 600. antecedunt, retrò; & quinque & tribus, ſicque totis octo annis citius æquo exhibere.

Deinde conſideranda eſt ratio, quæ ipſos mouerit, qui poſt Neronis circiter obitum Faſtos noſtros vulgares conſtituerunt; vt ab obitu Auguſti, ad Neronis vſque mortem quinque illos annos interponerent. Et illa quidem hæc eſſe videtur. Antè Alexandri Magni obitum, Elei tres Olympiades, tanquam præter fas ab alijs celebratas, Anolympiades vocitarunt; & Pauſania, Diodoroque ſiculo teſtibus, ex Olympiadum Catalogo penitus ſubmouerunt: Olympiadem nimirum octauam, quartam decimam, & quartam centeſimam. Proinde in Elide Olympiadum Epocha duodecim annis prodit ſeriùs.

Polybius quidem hanc Olympiadum Epocham duodecim annis æquo tardiorem eſt ſecutus: ſed, Velleio Paterculo teſtante, domi militiæq; apud P. Scipionem Africanum Æmilianum, ſeu minorem, qui V. C. 607. Carthaginem Veterem, dehinc Numantiam excidit; & anno V. C. 624. obijt, eſt verſatus: &, quod ſequitur, tum demũ hiſtoriam ſuam conſcripſit, cùm iam triennium illud in annis V. C. redundaret. Hinc Epocha quoque Olympiadum, Polybio tempora relegenti, occurrit item tribus annis citius, quàm ipſis Eleis; & nouem etiam annis tardius iuſto. Vt puta, initium Olympiadis 129. re verâ incidit in annum ante Chriſtum natum 264. ſed Polybio 255: circa quod tempus, deſinente ſcilicet anno ante Chriſti natalẽ 256. Polybius rectè primã Romanorum in Siciliam tranſportationem ſignat, anno V. C. Tab. Cap. 489. Eſt autem annus 4. Olympiadis 128. annus Olympiadicus 512. E quibus, ſi ſubtrahas annos 486. ſuperſtites ſunt 26. ſeu annus 2. Olympiadis; quo Romam conditam credidit.

Atque hinc idem Polybius à Roma per Gallos Duce Bren-

Brenno capta, vſq; ad Lucium Conſulem anno V.C. Tab. Cap. 469. ab iiſdem Gallis cæſum, Maniumque Curium ei ſuffectum annis octo minus numerat, quàm Faſti Conſulares exhibeant. Idemque Polybius lib. 2. diſertè aſſerit Demetrium Philippi patrem, Macedonum Regem, qui annis tantum 10. regnauit, obijſſe eo tempore, quo Romani primum in Illyricum expeditionem fecerint; ſicque anno V. C. Tab. Cap. 524; à quo anno ad captũ Perſeum anni currunt 61. Atqui Chronicon Euſebij à fine Demetrij Regis ad Perſeum captum numerat annos 69. ſicque octo annos amplius.

Quod verò Polybius, vel certè illius ætate Arcades, tribus integris Olympiadibus minus, quàm hodie fieri aſſolet, numerarint; id apertè conſtat è fragmento ipſius cum 43; tum 51; quibus aſſerit, *κατὰ τὴν ὀγδοὴν καὶ μ. ὀλυμπιάδα πρὸς τ'ρ.* Legatis Clitorẽ Arcadiæ peruenientibus, Lycortam Polybij patrem, concilium Achæorum dediſſe; atque eiuſdem Olympiadis anno ſecundo, Eumenis & compluriũ gentium, Legatis Romæ ſenatum datum; ſicque anno 1. Olympiadis 148. Lycortas Legatis Romanorum, quorum princeps Appius Claudius fuit, Concilium Achæorum dedit; id quod factum, vti etiam Liuius habet, Anno V. C. Tab. Cap. 569. currente; atque ita iuxta vulgares Conſulum Faſtos, anno ante Chriſtum 184. quo iniјt annus 1. Olympiadis 149. At verò mihi, anni illius, V. C. Tabuliſque Cap. 569, Conſules incidunt in annum ante Chriſtum 176; quo currente, iuxta vulgarem Olympiadum Epocham, incidit Olympiadis 151. initium; atque Arcadibus 148. Itaque ſatis apparet Arcades tribus omninò Olympiadibus minus numeraſſe: quin apparet etiam vnà, Olympiadicam Polybij numerationem vulgari Chronologiæ nullo modo quadrare.

Præterea L. Taruntius Firmanus, hanc poſtremam

Polybij traditionem, de Roma anno Olympiadico 26. deſinente conditâ, cùm eam pro certa & indubitatâ ſumeret; & in annis V. C. Tabulas Capitolinas ſequeretur; Olympiadum ipſarum Epocham (quod conſequi neceſſe) integro triennio ſcitius, quàm Polybius poſuit: Sicque Olympiadum Epocha Taruntio incidit in annum ante CHRISTVM 770. ſex annis, quàm par erat, tardius.

Vt igitur ij, qui poſt Neronis Obitum Faſtos vulgares ſtatuerunt, hunc ſex annorum defectum explerent, in primis quinque annos illos interpoſuerunt: & præterea, primum, vtputa, vniuſcuiuſque Olympiadis annum, non in illum Iulianum, ſeu V. C. quo currente, deſijt, & maiore ſui parte incidit, collocarunt: ſed in illum, quo habita eſt Olympias, & annus ille Olympiadicus inchoauit, etſi maior ipſius pars in annum V. C. ſubſequentem caderet: atque ita quidem, ſibi videbantur, (quanquam perperàm) annos V. C. ad veram Olympiadum Epocham accommodaſſe.

Plerique tamen, quia ſextus adhuc annus deeſſe videbatur, à primis Conſulibus deinceps anno vno amplius, quàm Tabulæ Capitolinæ, numerauerunt, vti Cor. Tacitus, C. Plinius, Dio Caſſius; quibus, quod conſequitur, Epocha Chriſti, incidit in annum V.C. deſinentem 753, vt ipſi quidem annos V. C. numerant.

Denique à Neronis morte, Ordo ac ſeries Faſtorum Conſularium à Panuinio cõcinnatorum, rectè ac ritè habet; præter vnicum par Ordinariorum Conſulum ab eodem Panuinio prætermiſſum: illorum ſcilicet; qui anno Chriſti nati 277. in magiſtratu fuêre Probi Auguſti, atque Anitij Paulini; quos tamen cùm Faſti Græci, & Libellus de Præfectis, & Caſſiodorus, & ipſa ratio, temporumque exigit connexio. At Panuinius nolens volens o-

mittere fuit coactus. Quippe præcedentes omnes annos vno tardius locauerat.

Atque ita quidem annorum solarium V. C. tota ratio sese habet ab anno 404. deinceps vniuersim. Quæ omnia sigillatim suis locis declarabuntur.

CAP. XCIII.

Illos autem annos, qui ab Alexandri Magni obitu consurgunt, duodecim demum post eius mortem annis, è Calendis videlicet Octobribus anni ante CHRISTVM natum 312. desinentis, initium capere, certum est: ita vt Aelius Lampridius tradat, his ipsis Calend. Octobr. Alexandrum Magnum obijsse. Nec dissentit Arianus: qui, regno Alexandri annos item 12. & menses octo tribuit. Sed & Iosephus scribit; 9. Calend. Februarij, octo videlicet mensibus ante Calendas Octobris Philippum Alexandri Magni patrem esse cæsum. Huius autem μεταλήψεως duodecim omninò annorum, seu trium Olympiadum hactenus ignoratam rationem, nos primùm in lucem hìc, seu hac nostrâ Chronologiâ proferimus. Quippè cùm Elei tres omninò Olympiadas è catalogo Olympiadum eiecerint, erat necessarium, Olympiadem centesimam decimam quartam, sub qua obijt Alexander, duodecim annis tardius incidere. Hinc Eusebius, & illi, quos ipse hac in sententia sequitur, à capta Troia ad initium Olympiadum, pro vltimo videlicet ficti, commentitij, atque insititij temporis interuallo, 4??. annos numerant; Timæus tamen, Censorino teste, 417. annos statuit, Epochâ Olympiadum annis duodenis signatâ tardius.

CAP. XCIV.

Tametsi verò hac ratione Auctorum Chronologicorum dissensio, non octo, sed duodecim annorum esse debuisset; attamen, quia in annis, quæ ab V. C. nume-

numerari solent; (quorum annorum singuli singula Consulum Ordinariorum paria in se continent) ab anno circiter V. C. 600. deinceps integro triennio solaribus, seu vertentibus minores sunt; tribus ex duodecim vel vndecim plenis annis, subtractis, penes rerum Romanorum auctores error octo tantum annorum permansit.

CAP. XCV.

Quòd autem ab anno V. C. præter propter 600. deinceps in annis proximè consequentibus, anni V. C. integro triennio minores sint solaribus; ideoque pro solaribus accepti triennio redundent; id etiam ex eo intelligitur: quia, hanc ob causam, etsi iuxta Tab. Cap. vulgaris Epocha Christi incidat in annum V. C. Tab. Cap. 747. desinentem; attamen L. Taruntius Firmanus, & qui eum sequuntur, annum primum V. C. nequaquam in annum ante Christum natum 747. conijciunt; quod tamen erat consequens; sed, vt ex infrà dicendis apparebit, anno ante Christi natalem 744. collocant: adeoque plerique, Latini præsertim, Autores, qui annos V. C. potius, quàm Olympiadicos secuti, ante obitum Augusti res Romanas posteris tradiderunt; hoc triennio dissident. Etsi enim complures hac in re Tab. Capitolin sequantur; non pauci tamen secuti Taruntium, triennio integro minus numerant; ita, vt huius erroris triennalis ad nos plurima deuenerint vestigia. Sic enim Valerius Antias, M. Terent. Varro, Tit. Liuius, eiusq; Epitome, quin & L. Florus, (vti paulò post ostendemus) anno V. C. Tab. Cap. 404. numerant annum 401. Et anno 504. numerant annum 501. Et anno 604. numerant annum 601. Anno etiam V. C. Tab. Cap. 600. Fuluio Nobiliore, & Anno Lusco Coss. Epitome Libri 47. Liuij disertè numerat annum ab V. C. 597. Et anno V. C. Tab. Cap. 604. quo cœpit bellum Punicum III. Epitome Libri 49. Liuij, numerat alterũ & sexcentesimum, hoc est

701. annum ab V. C: eoque tempore Florus ludos ſeculares factos tradit poſt annum centeſimum ab anno quingenteſimo, & altero ab V. C. vti colligitur è MS. exemplari Bauarico. Sic M. Valerius Meſſala Coruinus, tribuit Regibus annos 243; & hinc conſulibus ad Iulium vſq; Cæſarem annos 447; & quod ſequitur, annum V. C. Tab. Cap. 693, (qui Conſulatum Iulij Cæſ. primum præceſſit proximè) vocat annum V. C. 690; ſeu annum ſeptingenteſimum, decem minus. Ita enim ibidem legendum eſſe, ratio ipſa exigit: principatum enim, vti eum vocat, non autem imperium, ſeu monarchiam, Iulij Cæſaris, à primo eius conſulatu inchoat, exacto ſcilicet anno V. C. 690; ſeu iuxta Tab. Cap. 693.

Sic Eutropius, qui ab V. C. in annum vſque Chriſti 364. ſcripſit, eiuſque Paraphraſtes Pæanius, vel Autores illi Veteres potius, è quibus hæc iſti hauſerunt, ab V. C. ad bellum Macedonicum primum, quod iuxta Tab. Cap. Anno V C. 553. cœpit; numerant annos 550. Et anno V. C. Tab. Cap. 604. quo tertium Punicum bellum cœpit, L. Martio Cenſorino, & M. Manilio Coſſ, numerant annum V. C. 601. Et anno V. C. Tab. Cap. 630. quo C. Sextius Caluinus Procoſſ. Gallos vicit, annum 627. numerant.

Et anno V. C. Tab. Cap. 662. Sex. Iulio Cæſare, & L. Martio Philippo Coſſ. numerant annum V. C. ſexcenteſimum quinquageſimum nonum. Et anno V. C. 665. Sylla Conſule, numerant annum 662; quo anno & bellum Mithridaticum, & primum ciuile Marianum cœpit. Anno verò V. C. Tab. Cap. 679. L. Licinio Lucullo, & M. Aurelio Cotta Coſſ. numerant annum V. C. 676. Et anno V. C. Tab. Cap. 681. quo & M. Lucullus rem geſſit cum Mithridate, & bellum cum gladiatoribus initum, numerant annum V. C. 678.

Porrò de anno V. C. Tab. Cap. 513. Cic. in Bruto;

Liuius, inquit, *primus fabulam C. Clodio Caeci filio, & M. Tuditano Coss. docuit anno post Romam conditam* CCCCC. X. *vt hic ait, quem nos sequimur. Est enim de numero annorum inter scriptores controuersia.* Hæc Cicero. Qui & in primo Tusculan. quæst. eosdem hosce Coss. anno V. C. 510. adscribit. Sic & A. Gellius l. 17. c. 21. de anno V. C. Tab. Cap. 473; quo Epirotarum Rex Pyrrhus traiecit in Italiam: *Post annum*, ait, *V. C.* CCCC. *ferè, &* LXX. *bellum cum rege Pyrrho sumptum est.* Idem in eiusdem cap. fine; de anno V. C. Tab. Cap. 522. M. Pomponio Mathone, & C. Papyrio Messone Coss. quo Spurius Caruilius primum Romæ diuortium cum vxore fecerat, Dionysio, Valer. Max. Plutarchoque Auctoribus: *Anno*, inquit, *post Romam condit. quingentesimo vndeuicesimo Sp. Caruilius Primus Romæ cum vxore diuortium fecit.* Idemque Gellius libro 4. cap. 3. Anno V. C. Tab. Cap. 526. M. Attilio, P. Valerio Coss. ex sententia Seruij Sulpicij Iurecoss. numerat annum V. C. 523.

Atque hinc triennij illius errores exorti: vt, cum Liuius ab anno V. C. Tab. Cap. 571. in annum 585; siue à primo Consulatu L. Æmilij Pauli, ad secundum eiusdem consulatum numerat annos 17. triennio amplius, quàm par erat: & ab anno V. C. Tab. Cap. 534. in annum V. C. 539. idem Liuius libro 24. octo annos numerat, triennio quoque plus, quàm oportuerat.

Hinc quoque Liuius, in epitome libri 119. & Seneca, de Clementia lib. 1. c. 9. Anno V. C. Tab. Cap. 710; quo Augustus Consul factus Triumuiratum R. P. C. inijt, annum. 707. numerantes, Augusto tum non nisi decem & octo ætatis annos tribuunt, ab anno videlicet V. C. tab. Cap. 690. incluso in annum 707.

CAP.

CAP. XCVI.

Quo pacto, anni item regni Græcorum in Libris Machabæorum ritè, & ex eo tempore surgunt, quo Seleucus Syriæ Satrapa, & alij Duces Græci, qui post Alexandrum Magnum diadematis sibi sumptis, potiebantur rerum, seque reges nuncupabant: octo item annis tardius, quàm hactenus omnes tradiderunt Chronographi. Falsum enim est, quod Eusebius in Chron. tradit, Seleucum anno post Alexand. Magni mortem duodecimo, se Regem dixisse. Sed & omni caret ratione, ab eo tempore Græcorum inchoare regnum, quo Reges illi nondum erant dicti.

CAP. XCVII.

Eâdem hac nostrâ firmabitur Chronologiâ, Ascalonitarum annos eosdem esse cum annis regni Græcorum. At Edessenorum & Chaldæorum annos, octo annis plus iusto illos excedere, perinde, vt & anni Antiocheni annum primum Iulianum octo annis præuertunt.

CAP. XCVIII.

Inde etiam colligimus, qua de causâ illi, qui anno Mundi 5500. exacto diuinæ Christi incarnationis numerare annos incipiunt, partim quidem è Græcis, partim è Latinis nonnullis Christianis Auctoribus; alij quidem hos natalium Christi, annis octo ante initium annorum Christi vulgarium: alij verò, vt Maximus Monachus, & Solitarius in Dioptra, annis octo post initium annorum Christi vulgarium, inchoant; ita, vt illorum προέμπτωσις; horum autem μετέμπτωσις, à se inuicem sedecim annis distent. Proinde, hic tam inueteratus error octo annorum, adeò multa post se reliquit vestigia.

CAP. XCIX.

Ex hisce Chronicis demonstrationibus item patebit: quia vulgares Consulum Fasti, eo tempore, quo Numidarum Rex Masinissa obijt, octo item annis exerrant à Vero: mirum non esse, Masinissam, qui Polybij testimonio, & potiorum historicorum calculo, 90. vixit annis; Liuio tamen octo annis minus; Macrobio & Eutropio 8. annis amplius, quam 90. vixisse.

CAP. C.

Qui quidem bis octo, seu sedecim annorum error, in nonnullas alias Historicorum traditiones se insinuasse, in ijsque hærere videtur. Nam & annus ille, quo Polybius primum fœdus cum Carthaginiēsibus ictum esse scripsit à Tyrrhenis, atque Ausonibus, non est annus ante Christum 508; sed, 492: Et Xerxes non traiecit in Græciam anno ante Christum 480. sed 464. Plato item non venit Tarentum anno V. C. 404. vt retulit aliôqui Cicero; sed 16. annis citius: Næuius etiam Poëta non obijt anno V. C. Tab. Cap. 549. vt veteribus inest commentarijs: sed Varrone teste, annis 16. tardius. Et Liuius Poëta non anno V. C. Tab. Cap. 513. primam fabulam docuit; sed, annis opinor, 16. serius: cùm ex Liuio colligatur, eum secundo bello Punico, quod anno demum V. C. 535. sumsit initiū floruisse. Et Cyrenarum Vrbs, & Olympiade 41. & sexdecim annis serius, Olympiade videlicet 45: condita traditur. Et tametsi Q. Fabius Pictor, & L. Cincius Alimentius Vir Prætorius, Romanæ rei scriptores antiquissimi vno floruerint tempore; attamen Fabius, vti infra suo loco patebit luculentius, Olympiade 8. Cincius autem annis sexdecim tardius, Olympiade nimirum 12. Romam conditam asseuerauit. Et Diodorus Siculus octo annis citius, quàm par erat, Olympiadum Epocham signat. Id inde probatur: quippe, vsque ad bellum Gallicum, quod Iulius Cæsar gessit,

conflatum anno ante Christum 55. annos Olympiadicos 730. constanter numerat; quibus annos 54. plenos subiunge: atque ita conflabis annum ante Christum natum 784. pro Olympiadum Epocha octo annis amplius iusto. Contrà, Ausonius, eandem Epocham octo annis serius collocat, vti mox sequetur.

CAP. CI.

Q. Fabius Pictor, qui tempore belli Punici floruit, Olympiade octaua; & quidem, vt opinor, anno illius quarto, seu anno Olympiadico 32. Romam conditam putauit. Vnde annus V. C. Tab. Cap. 553. illi perinde, sicut & mihi coincidit in annum ante Christum natum 192. annis octo seriùs, quàm est existimatum hactenus. Iunctis siquidem annis 32. 553. & 191. conflatur ritè annus ante Christum natum 776. quo currente, vera Olympiadum signatur Epocha. Sic Plin. l. 2. c. 25. Olympiadem 108. siue annum Olympiadicum 429. in annum V. C. Tab. Cap. 397. conijcit.

Nec obstat, si quis hîc vrgeat; indefinita Olympiadis appellatione; primum potius, quam quartum illius annũ esse capiendum. Si enim tres illos annos, qui in annis V. C. ab anno 600. vsque ad annorum Iulianorum initium abundant, admittamus: tunc, quoniam V. C. 747. desinente, vulgaris Christi Epocha incidit: etsi soli 29. anni Olympiadici, seu annus Olympiadis octauæ primus præfigatur; attamen rursus conflatur Epochæ Olympiadum annus ante Christum 776.

CAP CII.

Ob eandem octo annorum dissensionem ac discordiam, Ausonius, se Consule, anno Christi vulgari 379. numerat annum V. C. 1118. octo annis minus, quàm Tab. Cap. re ipsa exhibent: eo deniq; illo anno Christi 379. idem Ausonius annum Olympiadicum 1147. numerat adæquè

octo annis minus, quàm vera requirit Olympiadum Epocha.

CAP. CIII.

Anno V. C. Tab. Cap. 595, & deinceps in annis V. C. sex annis amplius, quàm Tab. Cap. præferunt, numerari, ex Censorino Cicerone, ac Macrobio colligimus. Siquidem Censorinus tradit, vt quidem è vetustis eius M S S. constat exemplaribus; Pisonem in Annalibus, seculum centum annis definire; & ijs Coss. qui eo ipso anno V. C. Tab. Cap. 595. adscribuntur, exacto iam V. C. sexcentesimo, septimum seculum, hoc est, annum V. C. 601. occipere. Cicero verò, somnium Scipionis anno V. C. Tab. Cap. 604. tribuit; Manio videlicet Manilio Conf. & quidem triennio antè, quàm ipse Scipio Consul Carthaginem euerterit, sed & Macrobius semel atque iterum constanter refert, Scipionem illo anno numerasse annum à morte Romuli 573: quibus annis, si anni 37. quos regno Romuli præter Macrobium tribuunt Chronologi passim omnes, addantur, conflatur annus V. C. 610. similiter sex annis Tab. Cap. excedens calculum. Quod si annis v. g. 601. præfigantur anni Olympiadici 26. seu annus 2. Olympiadis 7. ac iuxta hanc nostram Chronologiam subdantur anni ante Christum natum 149. prodit ritè annus ante Christum 776. veræ Epochæ Olympiadum. Hinc vtique Polybius, eumq; secuti, Cornelius Nepos & Luctatius anno 2. 7. Olympiadis Romam conditam tradiderunt.

CAP. CIV.

Hoc etiam pacto annus V. C. Tab. 595. incidit in annum ante Christi Natalem 150. Et annus V. C. Tab. Cap. 604. incidit in annum ante Christum natum 141. vterque omninò annis octo seriùs, quàm hactenus traditum, creditum, & Consulares Fasti requirunt. Sanè apud

pud Plin. l. 15. c. 1. Feneſtella; Anno populi Romani, ſeu anno poſt Romam conditam 183. ponit finem Tarquinij Priſci annis octo tardius Plinio. Id quod Chronologiæ huic noſtræ fauet: imò etiam hinc tempus verum & legitimum Ludorum ſecularium, ſecundorum, tertiorum, & quartorum, quod hactenus ferè fluctuabat, erui certius poteſt.

CAP. CV.

Nec enim officit, quod idem tradit Cenſorinus, Piſonem, videlicet Cenſorium, & Cn. Gellium, vti & Caſſium Heminam, qui tum viuebat, quartos ludos ſeculares anno V. C. Tab. Cap. 607. affigare: (anno ſcilicet, vt Cenſorinus numerat, 608.) Id enim ex Annalium Piſonis peruerſa verborum diſtinctione collectum opinor. Tradidit enim ibidem Piſo, Romæ conditæ anno DC. hoc eſt ſexcenteſimo ſeptimo, id eſt, ſeptimum ſeculum incipere: non verò tradidit, Romæ Conditæ anno ſexcenteſimo ſeptimo, ſeculum illud incipere.

Nec impedit, quod Valerius Antiàs, ſecundos ſeculares ludos anno V. C. Tab. Cap. 404. (400. enim pro 300. legendum & reponendum eſſe conſtat:) Tertios, vnà cum Liuio anno V. C. Tab. Cap. 504. Et quartos cum Varrone & eodem Liuio anno V. C. Tab. Cap. 604. adſcribit. Id enim eò fit; quia, hi autores triennio minus, quam Tab. Cap. præferunt, in annis V. C. numerant; ideoq; in effectu, & receſſu id tantum affirmant; inchoante V. C. 401. 501. & 601. ludos hoſcé ſeculares fuiſſe celebratos. Multò verò minus obeſt, quod Cenſorinus è Quindecim-virorum commentarijs de ſpatio annorum 110. his ludis præfinito, recenſet. Is enim error eſt patens: qui, vti arbitror, ex deprauata item Horatiana Ode ortus eſt; apud quem, pro verbis, (*vt denos decies per annos*) legerunt perperam, (*vndenos decies per annos.*)

CAP. CVI.

Sin eidem anno V. C. Tab. Cap. 595. annum quidem Olympiadicum 621. aſſignauerimus; &, quod ſequitur, anno 2. Olympiad. 7. Romam conditam eſſe ſtatuerimus; ſed, annis V. C. Tab. Cap. ſexennium illud non addiderimus; tum Olympiadis Epochā his ipſis ſex annis iuſto tardius ueceſſe eſt ſignari. Quod ſi Epocham Olympiadum ſexennio ſignemus tardius, & præterea triennium illud, quod in annis V. C. ab anno 600. deinceps redundat, admittamus; neceſſarium eſt, triennio citius, hoc eſt, anno 3. ſextæ Olympiados Romam videri conditam, vti Pomponius Atticus, & M. Cicero ſentiunt; id quod hanc noſtratem apprimè confirmat Chronologiam. Quod autem illi, & eorum familiaris L. Taruntius Firmanus, Mathematicorum nobiliſſimus, doctiſſimusque dictus, annum primum primæ Olympiadis, anno ante natalem Chriſti 770. integro ſexennio iuſto ſerius inchoarint; id probabitur ſuo loco accuratè, adeoque *μαθηματικῶς* demonſtrabitur.

CAP. CVII.

Qui quidem Taruntius, tradit, conſentitq; Plutarchus in Romulo, conceptum fuiſſe Romulum anno primo ſecundæ Olzmpiadis, *τρίτης ὥρας, καθ' ἣν ὁ ἥλιος ἐξέλιπε παντελῶς*; *hora diei tertia, qua ſol totus defecerat.* Dionyſius quoque Halicarnaſſeûs, illi ipſi tempore adſcribit *ἡλίου ἀφανισμὸν, καὶ ζόφον ἐν οὐρανῷ*: *Solem tum obſcuratum; & cœlum tectum caligine.* At Aſtronomicus calculus, longè certiſſimus, oſtendit anno ante Chriſti natalem 765. currente, dieque Febr. 10. Romæ ante meridiem horis $3^{\circ}.\ 29'.\ 26''$. Solem in $14^{\circ}.\ 18'.\ 38''$. Aquarij defeciſſe digitis $10^{\circ}.\ 45'$. hoc eſt, ferè $\frac{11}{12}$ partibus: ac cœpiſſe defectum illum ſolis ante meridiem $2^{\circ}.\ 12'.\ 53''$: ita, vt hæc Solis Eclipſis exactè huic traditioni reſpondeat: quia & in obſcurationis magnitudine,

&

& ipso temporis articulo, seu hora diei, qua contigit, ad punctum congruit. Nec dubium esse potest aliquod, quin hæc ipsa sit Eclipsis, de qua sensit Taruntius. Nam si quis tam porrò, quàm retrò coniunctionum Eclipticarum omnia momenta compluribus annis excutiat; haud tamen aliam, huic traditioni competentem Eclipsin inueniet. Quod si hæc Februarij dies decima anno ante Christum natum 765. cadat in annum primum secundæ Olympiadis; anno demum ante Christum natum 770. & sic sex annis tardius prima Olympias habita, quàm hactenus existimatum.

CAP CVIII.

Eadem sex annorum Taruntij ab Autoribus alijs dissensio, etiam inde colligitur; quia Taruntius, vt est apud Plutarchum, totam hanc disquisitionem M. Terentij Varronis instituit arbitrio. Is autem Censorino teste, disertis scripsit verbis; In hoc Historico temporum interuallo, à prima Olympiade ad suam vsque ætatem, fuisse aliquam inter Autores dissonantiam, in sex septemúe duntaxat annis versatam: subditque Censorinus; idipsum, quodcunque caliginis, Varronem discussisse; & defectus (luminarium, scilicet cœlestium Eclipses) eorumque interualla, retrò dinumerantem, eruisse Verum, lucemque ostendisse, per quam numerus certus non annorum modò, sed & dierum possit perspici. Eodem modo, etsi iuxta vulgares Coss. Fastos, bellum Achaicum Corintho capta, confectum tradatur, anno 2. desinente, vel tertio inchoante Olympiadis 158: tamen Pausanias accuratus alioquin Auctor, id sex septemúe annis signat serius, Olympiade videlicet 160.

CAP. CIX.

Eam autem Solis Eclipsin esse illam ipsam, sub qua Romulum credebat conceptum Taruntius; etiam ex his

duabus, quæ sequuntur, apparet rationibus. Ea prior est; quia, Pomponius Atticus, M. Cicero, & alij; qui quidem anno 3. Olympiadis sextæ, Romam opinabantur conditam, rationem annorum V. C. Tab. Cap. sequuntur: hæc autem primum Vrbis Romæ natalem exhibet die 21. Aprilis, seu 11. Calendas Maij, anno ante Christum 747. Quòd si eam statuamus incidere in annum 3. Olympiadis sextæ, vti & Plutarchus ibidem facit; decima sanè dies Februarij anni ante Christum natum 765. qua Eclipsis illa fuit, ritè incidit in annum Olympiadis secundæ primum, quod Plutarchus & Taruntius tradiderunt. Altera ratio est; quia ab eadem die 10. Februarij, anni ante Christum natum 765. deinceps, hæc dies 21. Aprilis, anni ante Christum natum 747. incidit in 18. annum; & tam Dionysius Halicarnasseûs, quàm Solinus tradunt, Romulum annos 18. natum, Romam condidisse.

CAP. CX.

Id ipsum, & hinc probatur; quippe teste Plutarcho, Taruntius retulit; Romulum conceptum die 23. Chœac, & Romam conditam die 9. Pharmuthi. Sanè, si eandem Februarij 10. diem anni ante Christum natum 765. statuerimus esse diem 23. mensis Ægyptiaci Chœac; tunc dies 21. Aprilis, seu 11. Calendas Maij, natalis Vrbis Romæ, in annum ante Christum natum 744. (quo quidem anno, & ipse Taruntius, & Varro cum Auctoribus compluribus Romam conditam credidere) iuxta rationem anni Ægyptiaci exactè in 9. Pharmuthi coincidit.

CAP. CXI.

Idem colligas ex illo Plutarchi, cùm subdit, diem videlicet illam, quâ Romam Romulus condidit, tricesimam ipsam fuisse mensis Lunaris diem; eaque contigisse

gisse coniunctionem Lunæ ad Solem Eclipticam, hoc est, Solem defecisse; quod non nisi trigesima mensis Lunaris die fieri assolet: atque id ipsum, Taruntij calculo, euenisse μεταξὺ δευτέρας ὥρας καὶ τρίτης *inter horam secundam diei, tertiamque*. Cui disputationi adstipulatur ipse M. Cicero Taruntij huius familiaris, in 2. de Diuin: *Lucius*, ait, *Taruntius Firmanus, familiaris noster in primis Chaldaicis rationibus* (mathesi) *eruditus; Vrbis etiam nostræ natalem diem repetebat ab ijs Palilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus: Romamque, cùm esset in iugo Luna, natam esse dicebat, nec eius fata canere dubitabat.* Lunam autem cum Sole in iugo esse, vel versari, Taruntio ac Ciceroni, nec imperitè, idem est, quod nos dicimus in coniunctione diametrali, seu Ecliptica. Et de tempore, seu hora diei, defectionis huius solaris, consentit Solinus, & C. Sempronius, qui horam vocat, diei videlicet, secundam ante tertiam.

At verò calculus Astronomicus, vti exactissimus est, ita exactè probat, hoc ipso ante natalem Christi anno 744. currente, non quidem 21. Aprilis, natali Vrbis Romæ Politica, sed nona die Decembris currente (tanquam natali die Vrbis Romæ Astronomica, ex qua die fata Vrbis prædici queant) solem in $11^{\circ}. 20'. 21''$. Sagitarij, Romæ ante meridiem horis $2^{\circ}. 59'. 36''$. seu ab initio diei deinceps horis diei temporarijs $2^{\circ}. 4'. 10''$. & quod consequitur, ad punctum inter horam diei secundam & tertiam, defecisse digitis, seu punctis $7^{\circ}. 12'$. Quærat, cui lubet, in compluribus annis, tam porrò, quàm retrò, & singulas peruestiget Eclipticas luminarium coniunctiones, nullam aliam huic traditioni congruentem Solis Eclipsin reperiet; ita vt dubium esse non possit, quin de hac ipsa Solis Eclipsi, quæ contigerit eo tempore, quo Roma fuerat condita, senserit Taruntius. Sed & Plinius libro 35. c. 8.

c. 8. teſtatur, nonnullis Romulum Olympiade 18. obijſſe; ijs ipſa Româ conditâ anno ante Chriſtum natum 744. ſi quidem regno Romuli 37. annos tribuamus.

CAP. CXII.

Quid quod M. Valerius Meſſala Coruinus, qui anno V. C. Tab. Cap. 721. Conſul, & 55. annis augur, atque orator fuit diſertiſſimus, in libello ſuo ad Octauium Auguſtum de progenie illius, etiam ipſe Romam conditam exiſtimauit anno ante Chriſtum natum 744. eo ſcilicet ipſo anno, quo Taruntius: quin & diſertis verbis aſſeruit; Romulum, vti ferunt, 22. ætatis ſuæ anno, fundamenta Vrbis Romæ iecisse; at verò dies iſta 9. Decembr. anni ante Chriſtum natum 744. à die illa 10. Febr. anni ante Chriſtum 765. deinceps cadit exactè in annum 22. Olympiadicum.

CAP. CXIII.

Idipſum, vel inde etiam apparet: quia, Romulus & Remus, Manilio teſte, ſub Libra nati; Libra videlicet tum in horoſcopo verſante: quin & Taruntius, vti refert Plutarchus in eodem Romulo, natalem ipſorũ locat in diem 21. Thoth, *περὶ ἡλίου ἀνατολὰς circa ſolis ortum:* quæ quidem dies, cum decima dies Februarij ſtatuatur in 23. Chæac; quod conſequitur, cadit in decimam diem Nouembris, ſole circa initia Scorpij verſante; vt verum ſit, paulò ante Solis ortum, fuiſſe tum Libram in horoſcopo. Et quidem è Chaldæorum doctrina, & calculatione, die 274. (ſeu die prima ſeptimanæ quadrageſimæ) ex die conceptionis inde numerata, partus editur teſte Cenſorino; & eſt dies 21. Thoth, à die 23. Chæac, ſeu dies 10. Nouemb. à die 10. Februarij deinceps, vtroque extremo incluſo, exactè dies 274.

CAP. CXIV.

Idem aliter, & aliunde probare licet; Iuxta annorum Ægyptiorum rationem Cl. Ptolemæi, & reliquorum omnium

nium Auctorum dies 21. Aprilis, seu 11. Calend. Maij natalis V. C. Politica, hoc ipso anno ante Christum 744. incidit in diem Ægyptiacam 26. mensis Ægyptiaci Phaothi. Quod si contrà diem nonam Decembris (qua Sol inter horam diei secundam & tertiam defecit, hoc eodem anno ante Christum 744.) tanquam natalem Vrbis Romæ diem Astronomicam, conijciamus in hanc ipsam diem Ægyptiacam, 26. Phaothi (vti Taruntius, vel certè ipsius assèclæ fecisse videntur) tum Ægyptiacorum annorum ratione id exigente, & dies illa 10. Febr. anni ante Christum 765. exactè cadit in 23. Chæac; & dies natalis Politica Vrbis Romæ 21. Aprilis, seu 11. Cal. Maij, hoc ipso ante natũ Christum anno 744. ad punctum cadit in diem 9. Pharmuthi, ad modum, quem de vtroque asseuerarunt Taruntius & Plutarchus; adeò, vt reliquum nullum esse queat dubium, quin de his ipsissimis duabus Solis Eclipsibus senserit Taruntius.

CAP. CXV.

Quæ cùm ita sint, sequitur, hanc Chronologiam nostram nouam, præter illas, quibus de supra; octo luminarium Eclipses, etiam his duobus solis defectibus, traditioni L. Taruntij apertè congruentibus, patenter corroborari.

CAP. CXVI.

Hoc loco libet insignem notare errorem, tum M. Manilij lib. 4. c. 3. cum canit;

Hesperiam sua libra tenet, quâ, condita Roma; Tum Solini c. 2. qui Romam conditam refert horâ post secundam ante tertiam, sicut L. Taruntius prodiderit, Luna versante in librâ: item C. Sempronij, de Diuisione & Chorographia Italiæ, circa finem: & aliorum; qui id, quod de hora conditæ Romæ ex Taruntio traditur, Lunam videlicet tum hora diei inter secundam & tertiam in iugo fuisse,

perinde accipiunt,ac si diceretur, eam tum in signo Libræ versatam : cùm in iugo dicatur esse Luna potius, quando Soli opposita radios illius infringit, & lucem orbe suo interposito, intercipit, & obscurat.

CAP. CXVII.

Iam supra ostensum,circa annum V. C.Tab.Cap.595. & deinceps, ab Auctoribus quibusdam, in annis V. C. sexennio amplius, quàm Tab. Capitolinæ, (quas ex recentioribus Carolus Sigonius cum primis sequitur) præferant : quin, quod consequitur, quinquennio amplius, quã Cornelius Tacitus, C. Plinius, Dio Cassius Nicæus, & alij (quos Onuphrius Panuinius sequitur) tradunt, fuisse numeratum.

Hinc igitur, vel certè ex ipso errore quinquennij, ob quem & ipsa Christi Epocha quinq; annis iusto tardius Fastis Consularibus adscribitur, originẽ opinor traxit μετήμπτωσις illa quinquennij, quam & apud Autorem illum, ex quo tempora Atheniensium concinnauit Sigonius in historia Pyrrhi, & belli Punici primi : & apud Iulium Obsequentem circa eadem tempora, obseruaui, quod res complures à Romanis, vel cum Romanis gestas, illis annis Olympiadicis, vel illis adscribant Coss. qui integro quinquennio fuère serius : id quod item Chronologiam hanc nostram firmiorem reddit.

CAP. CXVIII.

Chronologus ille Anonymus, ex quo tempora Atheniensium desumsit,discreuitq; Sigonius; Pyrrhum Regem à Tarentinis refert aduocatum, verisq; initio traiecisse in Italiam contra Romanos Olympiadis.125. anno 4. At iuxta Vulgares Coss. Fastos, ab omnibus hactenus, nullo penitus Auctore reclamante, approbatos, id ipsum signatur anno desinente 3. Olympiadis 124. integro quinquennio maturius. Sed,quod consequitur, aliæ omnes,

nes, à Pyrrho, & contra eundem à Romanis res gestæ, ita, vti & ipsa mors Pyrrhi, adæquè quinq; annis serius ab Autore illo notantur, quàm vulgares alioqui Coss. Fasti repræsentant.

CAP. CXIX.

Quin & idem ipse Autor Olympiadis 130. anno 1. refert, Romanos, Appio Claudio Caudice Consule bellum Punicum. 1. cœpisse: At, iuxta Vulgares Coss. Fastos id ipsum assignatur desinenti anno 4. Olympiadis 128. toto nimirum quinquennio maturius.

CAP. CXX.

Idem Autor anno 1. Olymp. 132. recenset Romanos cum Pœnis iam nonum annum bellantes, cum Xanthippo Lacedæmonio tum Pœnorum Duce acie dimicasse, eoque in prœlio M. Attilium Regulum Imp. esse captum. At id, iuxta vulgares Coss. Fastos desinente, anno 4. Olympiadis 130. integro quinquennio citius, celeriusque contigit.

CAP. CXXI.

Sic Iulius Obsequens e. g. C. Mario II. & C. Flauio Fimbria Coss. anno scilicet V. C. Tab. Cap. 649. hæc notauit in suo de prodigijs libello: *Luna interdiu cum stella, ab hora tertia vsq; ad horam septimã apparuit. A fugitiuis & desertoribus in Thurinis regiones vastata. Cimbri Alpes transgressi, per Hispaniam vastatam iunxerunt se Theutonis. Hora diei tertia Solis defectus lucem obscurauit. In Piceno tres soles visi. In Macedonia Thraces subacti.* Hactenus Obsequens. Vbi obiter noto; eâdẽ horâ diei, tertia videlicet, Lunam interdiu cum stella visam referri; quâ & Eclipsis Solis lucẽ obscurauit: & Eclipsin etiam illã Solis, quę cæso Cæsare cõtigit, pro tribus Solibus à nonnullis acceptam. At astronomicus calculus ostẽdit, anno ante Christum natũ 104. currente, Solẽ in 22°. 15'. 27". Cancri Romæ ante meridiẽ 4°. 4'. 9"; sicq; horâ omninò tertiâ temporariâ defecisse digitis punctisué 11°. 20'. hoc est, $\frac{17}{18}$. partibus: sicque penè totam; vt certũ planè sit, Obsequentem hoc loco de nulla alia Solis Eclipsi sensisse, atque egisse.

Et

Et videri queat, hac Solis Eclipsi, vulgares Coss. Fastos confirmari. Si enim annis V. C. Tab. Cap. 649. subiungas annos ante Christum 103. plenos, conflabitur annus V. C. Tab. Cap. 752: quo desinente anno, iuxta eosdem Vulgares Consulares Factos Epocha Christi exactè occurrit. Veruntamen tantùm abest, hoc argumento Coss. Vulgares Fastos iuuari, seu Chronologiam nostram infringi; vt contrà potiùs hoc ipso argumento, nostra Chronologia egregiè confirmetur; idq; propterea; quia ostendi palàm potest, has res gestas ijs Coss. adscribendas, qui integro quinquennio citius in magistratu fuère, vt ex his, quæ sequuntur, liquebit.

CAP. CXXII.

Etenim animaduertendum, Obsequentem huic Solis Eclipsi rectà subiungere; *Subactos tum esse in Macedonia Thraces.* Quæsiuit sanè accuratè, anxieque Sigonius, quo Duce, & qua ratione, hoc anno Thraces sint subacti: sed, excussis cum cura omnibus illius æui scriptoribus, nil penitùs hac super re illo anno reperire potuit; vt nolens volens in hæc verba proruperit. *Ergò*, inquiens, *hac victoria in dubio relinquatur.* Contrà verò, Anno V. C. Tab. Cap. 744. & quidem exactè, annis quinque maturius, M. Minutius, cui prouincia anno proximè præcedente obtigerat; & Consul, & pro Consule Thraces in Macedonia subegit. & de ijsdem etiam triumphauit: id quod Epitome Liuiana, Eutropius, L. Florus, Sex. Rufus, & Frontinus attestantur. Proinde, si anno V. C. Tab. Cap. 744. subiungas, addasque annos ante Christum 103. prodibit annus V. C. Tab. Cap. 747. quo desinente, mihi in hac mea Chronologia Christi Epocha ritè obuenit. Idem dici potest de fugitiuis & desertoribus, qui in Thurinis, inter Romam, scilicet & Macedoniam, regiones vastauerant, vti & de Cymbris, qui Hispaniam erant depopulati, & Alpes transgressi. Siquidem an-

no

no V. C. Tab. Cap. 749. nullum penitus fuit bellum circa Macedoniam: & Cymbros cum Hispaniam vastauisse tantum abest; vt à Celtiberis inde fugati, fusique, nec Galliam fuerint egressi: sed, anno potius 744. Cymbri Alpes transgressi, M. Iunium Silanum illius anni Consulem fuderunt: vt non sit dubium, res hasce, quas Obsequens anno 749. assignauit, integro quinquennio maturius signandas, annoque illi 744. restituendas. Atque hæc quidem est Eclipsis vndecima; quæ hanc nostratem Chronologiam ab anno videlicet V. C. 404. & deinceps firmat, & confirmat.

CAP. CXXIII.

Idem de hinc Obsequens, post M. Tullij Ciceronis & C. Antonij consulatum, anno V C. Tab. Cap. 691. recenset, quæ C. Antonius post deuictum gesserit Catilinam: Et id quidem rectè: attamen eo in loco, perperam hæc verba subtexit: *Lupi in Vrbe visi, nocturni vlulatus flebiles canum auditi: simulacrum Martis sudauit: fulmen tota Vrbe peruagatum pleraq; Deorum simulacra decussit; homines exanimauit, Vrbs lustrata; propter Dictaturam Pompeij, ingens seditio fuit.* Hæc quidem Obsequens, illius anni, vt putabat, portenta hucusque conglomerauit. Verùm hæc non illo V. C. Tab. Cap. 691. anno; sed toto quinquennio maturius euenisse, satis, opinor vel ex hoc constabit. Anno enim V. C. Tab. Cap. 686. Q. Catulus ex Optimatum sententiâ contendit, ob piratas Dictatorem dicendum; qui quidem extra Italiam cum imperio non sit, neque imperium vltra sextum mensem retineat. At A. Gabinius suâ sententiâ tum obtinuit, vt esset eo nomine imperiũ Pompeio æquum in omnibus Prouincijs cum Proconsularibus vsque ad quinquagesimum milliare à mari, idque in triennium: qua de causa, tum in Vrbe ingens coorta fuit seditio.

CAP. CXXIV.

Ita idem Obſequens, P. Rutilio & Cornelio Mallio Coſſ. de anno ſcilicet V. C. Tab. Cap. 648. hæc habet : *à Luſitanis Romanus exercitus cæſus.* Hîc Sigonius circumſpicit iterum, & anquirit, quo nam Duce Romanus exercitus tum fuerit cæſus? Quare, vbi nulla huiuſce cladis inuenit certa aliqua in Hiſtoricis veſtigia; tandem liberè, ac ingenuè profitetur; ſibi hoc eſſe incompertum. Nec mirum. hæc quippe clades non tum, & his Coſſ. ſed, ſub illis Coſſ. accepta eſt, qui quinquennio integro maturius in conſulatu fuerunt. Etenim anno V. C. Tab. Cap 643. L. Calpurnius Piſo Prætor, præcedente anno in Hiſpaniam miſſus, illo ipſo anno vnà cum exercitu ſuo cæſus eſt, eiq; ſucceſſor miſſus Ser. Galba, triennio poſt creatus Conſul.

CAP. CXXV.

Ille ipſe Obſequens anno V. C. Tab. Cap. 677. hæc apponit : *Aduerſum Medos variè dimicatum.* Atqui quinquennio integro citius, anno ſcilicet V. C. Tab. Cap. 672. Cn. Cornel. Dolabella Conſul, Syllæ, qui agrum Medicum vaſtaret, in Macedoniam ſucceſſor miſſus, ex ea paucis poſt annis triumphauit. Eſt itaque vero ſimile tunc id factum, quod quinquennio ſeriùs tradidit Obſequens. Præterea hoc eodem anno V. C. Sertorius Luſitaniam ad bellum impulit, atq; armauit; exercitumque in Hiſpaniam è Luſitania duxit tum hoc ipſo, tum proximè ſequente anno 673; Q. Metellus Pius Conſul Hiſpaniam prouinciam obtinuit, idem Sertorius ingens bellum in Hiſpania ulteriore excitauit, teſte Plutarcho; Cottam nauali prælio ſuperauit, Didium Bæticæ Prætorem fudit, Thoranum à Metello Conſule miſſum fregit, ope Ducis ſui Herculeij Domitium Proconſulem, quem Metellus è citeriore Hiſpania arceſſierat, cum exercitu oppreſſit & occidit, atque eiuſdem Ducis ſui ope Manilium Proconſulem

ſulem è Gallia in Hiſpaniam transgreſſum, caſtris copijsq; nudatum, in opidum Ilerdam penè ſolum fugauit. Ideoq; ſine dubio ad hoſcé duos annos V.C.Tab.Cap.672. & 673. pertinent illa, quæ Obſequens integro item quinquennio ſeriùs hiſcé tradit: *C. Octauio, C. Scribonio Coſſ.* (anno ſcilicet V.C.Tab.Cap.677.) *à Sertorio in Hiſpania exercitus Romani cæſi. Et L. Aurelio, L. Octauio Coſſ.* (anno ſcilic. V.C.Tab.Cap.678) *Sertorio in Hiſpaniam exercitum ducenti, prodigium eſt factũ; quod proſperum ſibi interpretatus, continua ei prælia cum ſucceſſu fuère.* Hæc Iulius Obſequens. Et ſanè ~~vtroq~~; iſthoc triennio, 672. & 673. Sertorius Romanos exercitus, ipſe & Dux eius Herculeius, ſuperauit, fudit, fregit, oppreſſit, cõtinuaq; ei prælia cum ſucceſſu & fauore Fortunæ fuerunt. At verò, anno 677. & 678. quos ſignat Obſequens, Sertorius, neq; exercitus Romanos cecidit, nec cõtinua ipſi prælia cum ſucceſſu geſta ſunt: quin imò, vt plurimũ, infeliciter potius, quàm proſperè depugnauit: ita, vt integro omninò quinquẽnio citius has res geſſerit Sertorius, quas Obſequẽs ijs Coſſ. annotat, qui annis quinq; tardius geſsère Conſulatum. Nec, opinor, quenquam dehinc adeò iniquum fore harum rerum æſtimatorem, quin manibus pedibusq; in hanc nobiſcum cedat, & ſuccedat ſententiam.

CAP. CXXVI.

Hic ipſe Obſequens, anno V.C.Tab.Cap.587. inter anni huius prodigia recenſet: *Caſſini Sol per aliquot horas noctis viſus.* At quinq; annis maturius, annus videlicet V.C. Tab.Cap. 582. mihi ſe ſiſtens, incidit rectà in annum ante Chriſtum natum 163. quo anno Sol in 21°. 53′. Piſcium in Italia, poſt meridiem horis 4. 32′. 52″. defecit digitis 11′, 49: ſicque ferè totus Sol tum eſt obſcuratus, & caligo noctis obducta: cùm tamen Solis orbis demum poſt meridiem horis 5°. 48′. horizontem ſubiret, diuque etiam duraret poſt crepuſculum.

CAP. CXXVII.

Sic idem Obsequens anno V. C. Tab. Cap. 590. inter alia prodigia, etiam hæc commemorat: *Capuæ nocte sol visus; Formijs duo Soles interdiu visi. Nocte species Solis Pisauri affulsit.* Hæc ille. At quinquennio citius annus, scilicet V. C. Tab. Cap. 585. mihi obuenit, & re ipsa in annum ante Christum natum 160. coincidit: quo exeunte, in ipso ingressu anni ante Christum 159. Cal. Ian. Sol in 9. 2. Capricorni, Capuæ, post meridiem horis 4. 51. 54. defecit digitis 11. 8. Et tametsi centrum orbis solaris eâ ipsa die ibidem horis post meridiem 4. 35. Horizontem subijt, attamen tunc per refractionem 34. supra Horizontem fuit adhuc visus: & horis post meridiem 6. 10. demum desijt illius diei crepusculum, ita vt species solis nocte, hoc est, post totalem Solis obscurationem, supra Horizontem adfulserit. Itaque præter supra memoratas Eclipses vndecim, hæc quoque duodecima, & tertia decima Eclipsis, hanc nostratem Chronologiam ab anno V. C. 408. deinceps comprobat.

CAP. CXXVIII.

Cùm ante annum V. C. præter propter 600. anni V. C. iuxta Coss. Fastos vulgares, octo annis Coss. iusto citius exhibeant: atque exinde integro redundent triennio, ita, vt Iulianorum annorum Epocha, iuxta vulgares Coss. Fastos, tantummodo quinq; annis veram annorum Iulianorum Epochum excedat; sequitur, paulò post annum V. C. 600. iuxta eosdem Coss. Fastos Consules non nisi septem, vel sex annis æquo citius exhiberi. Sic certè bellum Achaicum, Corintho capta, iuxta vulgares quidem Consulares Fastos, confectum esset Olympiadis 158. anno 2. exeunte: vel, tertio ineunte, anno videlicet V. C. Tab. Cap. 607. sed re vera, teste Pausania, sex septemué annis serius est confectum, Olympiade scilicet 160.

Sic anno V. C. Tab. Cap. 619. qui iuxta eosdem vulgares Coss. Fastos, incidit in annum ante Christum 134. quo de, Iulius Obsequens tradit; *In Amiterno Sol noctu visus, eiusq; lux aliquamdiu fuit visa.* Calculus certè Astronomicus ostendit, hanc Solis Eclipsin contigisse 7. annis serius. Etenim anno ante Christum natum 127. currente Sol in $1^{\circ}2.\ 56'.\ 7''.$ Arietis Amiterni, horis ante meridiem $6^{\circ}.\ 16'.$ defecit digitis punctisué $9^{\circ}.\ 57'.$ seu $\frac{5}{6}$. partibus. Et tametsi centrum Solis tunc circa ipsum fuerit Horizontem, tamen ob refractionem 34'. potuit Sol paulò ante cerni, & lux Solis diu antea videri. Esto igitur hæc. 14. Eclipsis, cui hæc nostra nitatur Chronologia.

CAP. CXXIX.

Iuxta item vulgares Coss. Fastos Bellum Marsicum est confectum anno ante Christum 89. anno videlicet C.V. Tab. Cap. 664. ineunte anno 4. Olympiadis 172. Capitolium etiam Tacito, Iulio Obsequente, Appiano & Cassiodoro testibus, L. Cornelio Scipione, & C. Norbano Coss. anno scilicet V. C. Tab. Cap. 670. & quod consequitur, sex demum annis post bellum Marsicum confectum, conflagrauit.

Atqui Dionysius Halicarnasseus hæc vtraq; in vnum idemq; tempus disertè conijcit. Refert n. Sibillinos libros durasse incolumes vsq; ad bellum Marsicum in Capitolio conseruatos; at post 173. Olympiadem, cremato Capitolio, iam illos igne abolitos. Et sanè, iuxta hanc nostram Chronologiam, bellũ Marsicum anno ante Christi natalē 84. exeŭte, scilicet an. 4. Olympiadis 173. annis 5. seriùs, quã vulgares Coss. Fasti exhibent est confectum: Capitolium item crematum anno proximè sequente, ante Christum 83. V.C. Tab. Cap. 665. sicque eo ipso anno ante Christum natum, quem & vulgares Coss. Fasti repræsentant: quippe tantæ tempus cladis exactius ad posteros pertigisse videtur:

detur: ſed, (quà de annis V. C. quinquennio citius contigit, quàm Faſti Coſſ. præferunt. Atque ita quidem Dioniſij Halicarnaſſei traditio congruit.

Hæc noſtra ſententia etiam auctoritate Taciti conſtat. Is enim tradit M. Horatium Puluillum, iterum Conſulem dedicaſſe Capitolium, idq; exinde annis CCCC. XX. (nam ita lego; pro, CCCC. XV.) conflagraſſe. Ex anno enim V.C. 246. in annum 665. prodeunt exactè anni 420. Quod ſi apud Tacitum legantur Soli 415. anni; nihilo ſecius in annis V. C. quinquennij error redarguitur.

CAP. CXXX.

Dio Caſſius Nicæus anno V.C. Tab Cap. 704. quo C. Iulius Cæſar Rubiconem fluuium tranſijt, inter Vrbis prodigia, eo anno, & paulò etiam antè facta; recenſet, *ὅ, τε ἥλιος σύμπας ἐξέλιπε, Solq; totus defecit.* Incidit autem hic annus iuxta vulgares Coſſ. Faſtos in annum ante Chriſtum natum 49. Et quidem anno ante Chriſti natalem 51. currente Sol in 14°. 30′. 39″. Piſcium Romæ poſt meridiem horis 2°. 12′. 10″. defecit digitis ſeu punctis 9°. 2′. ſiue ¾. partibus. Hinc inferri poſſet, Faſtos Coſſ. vulgares hac Solis Eclipſi confirmari. Et quidem Dioni Caſſio, præter Tibullum l. 2. Eleg. 6. atque Petron. de mutata Rom. Repub. videtur cum primis adſtipulari Lucanus; qui eo ipſo anno V.C. Tab. Cap. 704. quo fugit Pompeius, hanc Solis totalem Eclipſin hiſcé deſcribit:

Ipſe caput medio Titan cum ferret Olympo
Condidit, ardentes atra caligine currus,
Inuoluitq; orbem tenebris, gentesq; coëgit
Deſperare diem, qualem fugiente per ortus,
Sole Thyeſtéa noctem duxêre Micenæ.

Sed reſponderi poteſt in primis, & quidem vniuerſim, ad omnia huius generis obiecta: Dionem ſcilicet, aliosque omnes Autores, cùm vulgares Coſſ. ſequantur

tur Fastos; hinc huiusmodi traditiones, quarum præsertim tempus ex astronomico calculo deprehendi potest; ad eosdem vulgares Factos accommodasse. Deinde respondetur; nihil referre, etsi fortè hæc Eclipsis 5. aut 7. annis citius facta sit: cùm soleant Eclipses illo demum signari tempore, quo euentus ab ijs præsignatus, re ipsa est consecutus. Sic & Eclipsis illa Solis maxima, quæ tempore mortis Augusti refertur, tertio tamen ante mortem Augusti anno contigit. Et Eclipsis illa Solis, quæ initio Imperij Gordiani adscribitur, integro, & amplius etiam antea euenerat anno. Quippe Solis Eclipsibus horarum duratio, teste Ptolemæo, pro annis accipitur subinde. Sic & euentus fulminum & fulgurum, in plurimos etiam annos diem statam habere crediti sunt, teste Philosopho Seneca quæst. natural. l. 2. c. 48.

Cæterùm Vero longè est similius, hanc de isthac Solis Eclipsi totali, maximaque, traditionem, quæ bellum ciuile præsignarit, de maxima hac Solis Eclipsi esse capiendam, quæ ante Octauij Augusti & M. Antonij bellum ciuile, anno ante Christum natum 38. contigit. Confusa enim sunt prodigia illa, quæ vtriusque belli ciuilis euenêre temporibus: idque hinc; quia, totum tempus ab anno V. C. Tab. Cap. 704. ad 723. annorum 20. circiter indefinitè, vti ex Tacito constat, bello ciuili adscribitur. Lucanus quoque in fine libri VII. bella ciuilia ab Augusto gesta, eidem bello ciuili à C. Iulio Cæsare & Cn. Pompeio Magno gesto coniungit. Idipsum apparet ex prodigijs alijs, quæ ibidem Lucanus recenset: quorum tamen nonnulla posterioris belli ciuilis tempore demum contigerunt. Præterea, id exigunt loca item Planetarum, quæ Lucanus ibidem

dem designat, solaris enim Eclipsis huius, tempori, anno scilicet ante Christum 38. congruunt. Denique id ipsum apertè constat ex ipsius defectus solaris magnitudine; qui quidem tam à Dione, quàm à Lucano totalis, vel certè maximus traditur: qualis ante Christum natum 38. non autem illo 51. contigit.

CAP. CXXXI.

Idem Dio Cassius Nicæus anno V. C. Tab. Cap. *757.* inter prodigia refert; *τοῦ ἡλίου τι ἐκλειπὲς ἐγένετο* : *Sol aliqua ex parte defecit*. Nam Fasti Consulares vulgares hunc annum V.C. Tab. Cap. *757.* conferunt in annum Christi quintum, quo quidem anno currente Sol in 29°. 57′. 17″. Piscium, Romæ horis 4°. 51′. 4″. defecit digitis, 5°. 10′; sed annorum ratione V. C. euenit hæc Eclipsis annis 5. citius.

CAP. CXXXII.

Ille ipse Historicus Dio, anno V. C. Tab. Cap. 743. hæc habet; *κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ, ὅ, τε ἱερεὺς τοῦ Διὸς πρῶτον μετὰ τὸν Μερούλαν ἀπεδείχθη*. *Tum quoq; primum, post Merulam, Flamen Dialis creatus est*. Quod autem hoc quinque annis citius factum sit, ita probo: Etenim constat, anno V. C. Tab. Cap. *666.* L. Cornelium Merulam, Flaminem Dialem & Consulem ordinarium, cùm se consulatu abdicasset, incisis venis, sponte vitam finisse. Atqui Tacitus lib. 4. *Duobus*, inquit, *& septuaginta annis post Cornelij Merulæ Flaminis Dialis cædem, neminem Flaminem esse suffectum.* Iunctis itaque 72. annis ad *666.* conflabitur annus V. C. Tab. Cap. 738. quinquennio citius, quàm Dio tradidit.

CAP. CXXXIII.

Eadem vestigia erroris quinquennij in annis V. C. Iulianorum annorum Epocham præcedentibus, in ratione vitæ, rerumque gestarum Cn. Pompeij Magni, manifestò deprehenduntur. Nam C. Attilio Serrano, & Q. Ser-
uilio

uilio Cæpione Coss. sicque anno V. C. Tab. Cap. 647. pridie Cal. Octob. natus est Cn. Pompeius Magnus, vti cum Paterculo, retulit Plin. l. 34. c. 2. ac, C. Iulio Cæs. 2. & P. Seruilio Vatia Coss. anno V. C. Tab. Cap. 705. mortem obijt, & quidem pridie natalem suum annum agens duo de sexagesimum Velleio; postridie natalem, annos natus 59. Plutarcho. Anno V. C. Tab. Cap. 672. annum agens quartum & vicesimum, ex Africa primum triumphum egit. Anno autem V. C. Tab. Cap. 692. pridie Cal. Octob. tertium & splendidissimum ex Asia triumphum egit, natus annos 35. Appiano: qui bis quinque annis deficit, dissentitque: Sed Plutarcho, & Zonaræ tum erat annorum 40. qui tamen etiam ipsi quinquennio deficiunt. Quare ob hunc integri quinquennij errorem insignem Plutarchi, summi illius ætatis viri, hæc in dicta prorumpit Velleius: *Cn. Pompeius*, inquit, *C. Cæsare, P. Seruitio Coss. iugulatus est duo de sexagesimum annum agens, pridie natalem ipsius. Quid aliud, quàm nimium occupatos dixerim, quos in ætate & tanti, & pœnè nostri seculi viri, fefellit quinquennium? Cùm à C. Attilio, & Q. Seruilio Coss. tam facilis esset annorum digestio. Quod adijcio, non vt arguerem: sed, ne arguerer.* Hæc Velleius. Quibus planissimum facit, ipso illo seculo Pompeij in annis V. C. integri quinquennij errorem obrepsisse.

CAP. CXXXIV.

Eiusdem erroris quinquennalis indicium etiam comparet in vita Marci Catonis Maioris. Natus est enim is anno V. C. Tab. Cap. 519. annis videlicet, teste Cicerone, sex post Centhonem & Tuditanum Coss. hoc est, post annum V. C. Tab. Cap. 513. Et eôdem Cicerone suffragante, annis 65. ante annum V. C. Tab. Cap. 684. quo Ennius obijt: & demum, eiusdem Ciceronis testimonio, annis 84. ante annum V. C. Tab. Cap. 603. decimum nonum, post Cæpionem, & Philippum, secundùm Coss. sicque natus

est anno antè: non, postquam Q. Fabius Max. Verrucosus gessit Consulatum.

Mortuus est idem Cato Maior, vt Cicero huius meminit in Bruto, L. Martio, & M. Manilio Coss. & sic anno V. C. Tab. Cap. 604. annorum, quod sequitur, 85. At Liuius anno V. C. Tab. Cap. 569. & Plutarchus in eiusdem vita, integro tardius quinquennio, anno suæ ætatis 90. Galbam ab eo accusatum scribunt, quinquennio amplius.

CAP. CXXXV.

Eiusdem errore quinquennij Velleius idem, annum V. C. Tab. Cap. 653. C. Mario VI. & Valerio Flacco Coss. (quo anno conditam refert Coloniam Eporediam) vocat annum vicesimum tertium, post annum V. C. Tab. Cap. 635. M. Porcio, & M. Martio Coss. quo anno conditam tradit Coloniam Narbonem Martium, integro redundat quinquennio.

CAP. CXXXVI.

Initio, inquit idem Velleius, primi belli Punici (ergò anno V. C. Tab. Cap. 488.) *Firmum & Castrum colonis occupata, & post annum* (anno scilicet 489.) *Æsernia, postquam 22. annos*, (anno scilicet V.C.Vab.Cap. 511.) *Æsulam & Alsium, Fregellasq́. post biennium*, (anno 513.) *proximoq́. anno*, scilicet V.C.Tab. Cap. 514.) *Torquato Sempronioq́. Coss. Brundusium.* Hæc ille. At verò isti Coss. signantur anno V.C.Tab.Cap. 509. Proinde etiam hîc quinquennium ipsum superstes est Velleio.

CAP. CXXXVII.

Carneades Philosophus, Apollodoro Laertioque Auctoribus obijt Olympiadis 162. anno 4. natus annos 85. qui annus Olympiadicus anno V.C.Tab.Cap.624. assignari solet; & iuxta vulgares Coss. Fastos in annum ante Christum natum 129. incidit. At verò ille annus V. C. 624.

iuxta

iuxta hanc nostram Chronologiam quinque omninò annis tardius est locandus, anno scilicet ante Christum natum 124. Hinc M. Cicero & Valer. Maximus eidem Carneadi tribuunt ætatis annos 90. isthoc quinquennio integro amplius.

CAP. CXXXVIII.

Idem quinquennij error redarguitur è diuersa definitione vltimi interualli temporis Mythici, fictiq; à capta scilicet Troia, ad Olympiadum initium. Quod interuallum alij, Eusebio teste, 400: Ipse autem Eusebius quinquennio plus 405. annorum statuit. Sosibius verò Grammaticus ille Spartanus, qui sub Ptolemæo Philadelpho χρόνων ἀναγραφὴν scripsit, & ob ambiguarum quæstionum enucleationē Λυτικὸς dictus est, quinquennio minus, id ipsum interuallū, 395. videlicet annorum, Censorino teste, definiuit. Quod interuallum temporis Diodorus Siculus facit annorum duntaxat 408. Auctor autem ille Anonymus, è quo Sigonius Atheniensium tempora concinnauit, annorum 403, quinquennio scilicet minus, constituit.

CAP. CXXXIX.

Ita Dionysius Halicarnasseûs, qui scripsit, antequam post Augusti mortem quinque anni Consularibus Fastis perperam interijcerentur; & annum primum Olympiadis septimæ in annum primum Charopis Archontis Attici decennalis conijcit; &, quod sequitur, Olympiadum Epocham exacto anno primo Æschyli Archōtis perpetui locat; eum sequitur Eusebius, vti & Autor ille, de quo tempora distinguit Atheniensium Sigonius.

At Pausanias, qui post annos illos quinque Fastis perperam insertos, floruit, constanter integro tardius quinquennio primas Olympiadas Archontibus Atticis attribuit: &, quod sequitur, non primo, sed sexto proinde anno Æschyli exacto epocham signat Olympiadum.

Nam & annũ 2. nonæ Olympiadis conijcit in annum quintum Æſimedis Archontis; cùm alijs Auctoribus in annum Charopis vltimum incidat, qui Æſimedem proximè præceſſerat: Et annũ l. Olympiadis 17. anno 4. Hippomanis tribuit: cùm alijs incurrat in annum penultimum Clidici cui ſucceſſerat Hippomanes: Et demum annum 4. Olympiadis 23. hac quoque ratione in Thleſiam, tertium Archontem annuum conijcit.

CAP. CXL.

In Epitome libri 86. Liuij habetur, C. Marium C. Marij F. per vim, ante annum 20. creatum eſſe Conſulem: ante completos vtique 20. annos ætatis creatum Conſulem intellexit: in ipſo igitur conſulatu, non niſi 21. ætatis annum impleſſe, ac 22. inchoare potuit. At Velleius eundem vocat, facitq; Conſulem annos natum 26. Appianus, annorum 27. Proinde Liuiana Epitome à Velleio & Appiano toto diſtat, diſſidetque quinquennio.

CAP. CXLI.

Sextus Rufus, vir conſularis, exeunte anno Chriſti 363. & ineunte 364. numerat annum à Monarchia Auguſti 407. Nec mirum. Etenim annum primum Auguſti conſulatu Hirtij & Panſæ inhoat, vti profitetur, iuxta ſcilicet vulgares Coſſ. Faſtos, anno ante Chriſtum natum 44. Inde, C. Iulio Cæſari in imperio S. Hieronymus in Chronico tribuit annos 5. menſes 7. exinde retrò Conſulibus adſcribit annos 464. Sicq; primos Conſules anno ante Chriſtum 513. ſignat annis 5. citius, quàm Faſti vulgares exhibent. Tot errores, lapſuſque Chronographicos peruerſa hæc vnius quinquennij peperit inſertio. Dato enim etiam hîc vno abſurdo, mox plura inſequuntur agminatim.

CAP. CXLII.

Domitianus XII. Conſul, Agonem inſtituit Capito-

linum anno Christi vulgari 86. atque inde vsque in annum Christi 192. quo exeunte, Commodus obijt, & anni sunt 106. Atqui Clemens Alexandrin. στρωματέων 1. p. 145. aliâs 126. ob quinquennium vtique in annis V. C. insertum redundans, perperam item numerat annos 5. amplius.

CAP. CXLIII.

Idem ob eandem causam, eodem illo anno Christi numerat annum V.C. 948: Sicque Epocha Christi incidit eidem in annum V. C. 756. quinquennio serius, quàm Fasti Coss. vulgares; iuxta rationem Dionysij Halicarnassei anno vno minus, quam Tab. Capitolinæ numerantis, exhibeant.

Idem Clemens eodem illo anno Christi 192. numerat annum Olympiadicum 972. &, quod sequitur, initium anni ante Christum 780. conijcit in annum primum Olympiadicum, annis quinque iusto citius.

CAP. CXLIV.

Antoninus Pius, teste Iulio Capitolino, natus est 13. Cal. Octob. sub Domitiano XII. & Cornelio Dolabella Coss. (anno nimirum Christi 86.) mortuusque est eodem teste, anno 70. Atqui obijt alijs nonis Martij, Anno Christi 161. anno ætatis 75. quare, ipse etiam Capitolinus hîc deficit toto quinquennio.

Sic & Pertinax, eodem Capitolino teste, natus est Cal. Augusti Vero & Bibulo Coss. sicque anno Christi 126. Interfectus autem est Falcone & Claro Coss. anno scilicet Christi 193. Et tamē subdens Capitolinus; *vixit* (in imperio) *annis sex, mensibus 7. diebus 29.* sex annis deficit.

At contrà, de Diocletiano constat, eum non nisi ab exeunte anno Christi 284. ad 304. sicque Solis 20. annis imperasse. Attamen sex. Aurelius Victor vulgaris 25. annos Imperij, eidem tribuit, quinquennio, & ipse redundans.

CAP. CXLV.

Verùm his, & huic generi similibus argumentis missis, characterem sumamus infallibilem, Eclipsin Solis maximè insignem: Anno V. C. Tab.Cap. 709. Idibus Martijs cæsus est in Curiâ C. Iulius Cæsar; & ineunte anno proximè sequente. Hirtio & Pansa Coss. vt Dio Cassius Nicæus tradit; τό, τε φῶς τοῦ ἡλίου ἐλαττοῦσθαι τε, καὶ σβέννυσθαι, ποτὲ δὲ ἐν τρισὶ κύκλοις φαντάζεσθαι ἐδόκει: *Solis etiam lumen minui, exstinguiq́; aliquando in tribus circulis effulgere visum est.* Hæc Dio. Tradidêre autem Pythagoras, Xenophanes, Epicurus, eiusque gregalis Schola, quæ per annos 235. durasse fertur; Berosus quoque & alij; Eclipses, seu luminarium defectus fieri etiam per exstinctionē; id quod etiam Laertius, Eusebius, Lucretius, Petronius, & M. Cicero asseruerunt. Quare non mirum, etiam Dionem in hac esse sententia, defectumque, nominare exstinctionem.

Anno verò subsequente, idem Dio, inter prodigia, quæ Philippense prelium eo anno factum præcesserant, hæc retulit: ἐν τῷ ἄστει, ὅ, τε ἥλιος ποτὲ μὲν ἠλαττοῦτο, καὶ ἐλάχιστος ἐγίγνετο. ποτὲ δὲ καὶ μέγας, καὶ τρίτος ἐξεφαίνετο, καὶ ποτὲ καὶ νυκτὸς ἐξέλαμψε. *In Vrbe & Sol aliquando diminutus & minimus factus est; aliâs verò magnus & triplex apparuit; etiam aliquādo nocte effulsit.* Appianus Alexandrinus de eodem illo præcedente anno 709. γιγνομένων, inquit, τούτων, τέρατα καὶ σημεῖα ἐν Ῥώμῃ πολλὰ καὶ φοβερὰ ἦν ἀμφί τε τὸν ἥλιον ἀηδῆ σημεῖα πολλά. *Multa quoq;*, ait, *facta signa Romæ, atq; horrenda, & circa solem euenisse prodigia multa tristia.* Quippe Solis iste defectus maximus, vt in diuersis locis diuersimodè planè apparuit, ita rumor illius, & fama diuersimodis item est delata Romam.

Virgil. certè l. Georg. extremo, de hoc defectu lucenter scripsit.

Luridus quippe Sol, cum deficit, esse solet, vt loquitur Plin. Iun. lib. Epist. 6. Ep. 2.

Ac

At cui potius credamus hîc, quam M. Antonio Triumuiro, qui, Iosepho teste, Antiquit. lib. 14. cap. 21. in Epist. quam anno subsequente, deuicto Philippis Cassio, ad Hyrcanum Pontificem, & Ethnarcham scribens, hanc horridam Solis Eclipsin his exprimit coloribus: ἡμεῖς, ὡς ὑπὲρ ἁπάντων κοινοῦ, τοὺς αἰτίους, καὶ τῶν εἰς ἀνθρώπους παρανομιῶν, καὶ τῶν εἰς θεοὺς ἀνομημάτων ἠμυνάμεθα, δι' ἃ καὶ τὸν ἥλιον ἀποστράφθαι δοκοῦμεν, ὃς καὶ αὐτὸς ἀηδῶς ἐπεῖδε τὸ ἐπὶ Καίσαρι μῦσος. *Nos*, ait, *tanquam suscepta communi omnium tuitione, in eos animaduertimus, & ab ijs vindictam sumimus, qui & in homines iniusta, & in Deos nefaria perpetrarunt. Siquidem propter illa eorum facinora Solem etiam censemus ea auersatum, vultum ab eis auertisse, vt qui, & ipse haud libenter, sed cum horrore & fastidio scelus in Cæsarem commissum inspexerat.*

Constat autem ipso anni huius initio, A. Hirtio & C. Pansa Coss. C. Octauium ex Apollonia reuersum Romam intrasse, & eo ipso tempore prodigium hoc circa Solem euenisse. Vnde Sueton. in Augusto: cap. 95. *Post necem*, ait, *Cæsaris, reuerso ab Apollonia, & ingrediente Vrbem Augusto, repente, liquido, ac puro sereno, circulus ad speciem cœlestis arcus orbem Solis ambijt.* Et Seneca Natural. quæst. l. 1. c. 2. *Memoriæ*, inquit, *proditum est, quo die D. Augustus Vrbem ex Apollonia reuersus intrauit, circa Solem, visum coloris varij circulum, qualis esse in arcu solet, hunc Græci halo vocant, quem nos dicere coronam aptissime possimus.* Vbi tamen ἅλως legendum, quæ est area circularis fulgida circa stellam. Ἅλως enim Aristoteli de Mundo; ἐστὶν ἔμφασις λαμπρότητος ἄστρου περίαυγος κύκλῳ τοῦ ἄστρου. *Halo est edita imago siderea claritatis vndique illustrata*, vt Budæus est interpretatus.

Facilè autem talis visio, seu aspectus contingit, desinente sensim Solis Eclipsi, cùm secedente Luna, Sol radios suos rursus, & quidem in medio cœli vndiquaque egerit, & explicat.

Imò

Imò præter annum & diem, ipſiſſimam etiam diei horam, quâ ſolaris hic defectus contigit, tertiam videlicet diei, expreſſit Iulius Obſequens; vbi in libello de prodigijs hæc offert; *C. Octauius cùm horâ diei tertiâ, ingenti circumfuſa multitudine, Romam intraret, Sol puri ac ſereni cœli orbe modico incluſus extremæ lineæ circulo, qualis tendi arcus in nubibus ſolet, eam circumſcripſit.* Et mox: *Soles,* inquit, *tres fulſerunt, circaq; ſolem imum corona, ſpicæ ſimilis, in orbem emicuit, & poſtea in vnum circulum Sole redacto, multis menſibus languida lux fuit.* Re verà enim Sol orbe includitur modico, ſiquidem cœlum eſt purum ac ſerenum, quando Luna ſub Orbem Solis ſuccedens, eius adſpectum minuit. Circulus etiam, vel corona Solem ambit, quando centro Lunæ ſub centro Solis è diametro verſante, non niſi extremus Solis margo, portioque ſuperſtes circularis, & extrema cernitur.

Et calculus ipſe Aſtronomicus oſtendit palàm, mediam huius defectus ſolaris partem, Romæ ante meridiem horis 3. 5. 52. finem autem eiuſdem 1. 39. 5. fuiſſe. Oroſius etiam lib.6.c.20. è Liuio, vt opinor, hanc ipſam huius prodigij horam expreſſit, cùm ait: *C. Cæſare interfecto, cùm primùm Auguſtus ex Apolloniâ rediens Vrbem ingrederetur, horâ circiter tertiâ, repente liquido, puro, ſerenoq; die, circulus ad ſpeciem cœleſtis arcus, orbem Solis ambit.*

Porrò idem Iulius Obſequens, anno mox ſequente, M. Lepido, Munatio Planco Coſſ. quo anno M. Brutus, & C. Caſſius Cæſaris percuſſores poſt prælium illud ad Philippos ſummum acerrimumque occubuerunt; (id quod, ipſo M. Antonio Triumuiro teſte, ab Eclipſi hac ſolari velut prænuntiatum & notatum putabatnr) inter prodigia, quæ recenſet, hæc promit: *In Mutinenſi* (obſidione videlicet: conſtat autem eo ipſo anno, quo C. Iulius Cæſar occiſus eſt, exeunte, Mutinam eſſe obſeſſam, & exeunte anno preximè ſequente, obſidione liberatam) *Victoria Maria-*

na

næ ſignum meridiem ſpectans ſua ſponte conuerſum in ſeptentrionem: cùm hæc victimis expiarentur, (paulò vtique poſteaquam euenerant, ſicque circa initium anni V. C. Tab. Cap. 710. quo Hirtius & Panſa Coſſ. fuerunt) *Soles tres, circiter horâ tertiâ diei, viſi, mox in vnum orbem contracti.* Semel igitur atque iterum conteſtatur Obſequens, circa initium huiuſcé anni, V.C. 710. ipſaque hora diei tertia, circiter, ſolem puri ac ſereni cœli orbe modico clauſum, & circulum circa Solem viſum, & Soles tres ſpectatos, qui tamen mox in vnum orbem coirent. Iam verò ſupra ſatis oſtendimus, in nonnullis ſolaribus defectibus, Solis triplicis epiphaſin comparere ſolere.

Denique idem Obſequens, hoc ipſo anno, prodigijs etiam hoc adſcribit: *Lux*, inquit, *ita fulſit, vt tanquam die orto, ad opus ſurgeretur.* Id quod Dio hiſce retulit: ὁ ἥλιος ποτὲ καὶ νυκτὸς ἐξέλαμψε: *aliquando*, inquit, *Sol etiam nocte effulſit.* Et ſanè mihi quidẽ videtur, hac traditione, illã ipſam Eclipſin Solis, quæ ineunte ante Chriſtum natum anno 38. euenit, planiſſimè deſcribi. Cœpit enim illa Romæ dimidiâ circiter horâ poſt ortum Solis. At in Gallijs longè incepit citius, & in Hiſpanijs adhuc, quàm in Gallijs, maturius. Quare, ſine dubio, ijs in locis fuêre plurimi, præſertim autem huius Eclipſeos ignari; vel, quibus tum cœlum etiam eſſet nubilum aut nebuloſum; qui illuceſcente die illa, ad opus diurnum, tanquam die inchoata, conſurrexerint: & paulò poſt per hanc Eclipſin Solis maximam nocturnis rurſus obortis tenebris noctem illam nec dum finitam crederent, idque ita Romam nunciarent.

Neque verò hîc obſtat, ſi quis arguat, eam, quàm Græci ἅλων, & Latini circulum, vel aream ſtellæ vocant, propriè ſumptam, aliam, & ab Eclipſi diuerſam eſſe cœleſtem Epiphaſin. Etenim negari non poteſt, quin & in Eclipſi ſolari circulus inſtar Iridis, ſeu arcus cœleſtis, circa ipſum

Solis Orbem sæpins apparere soleat; cùm id ipsum illius defectus solaris, qui Domitiani cædem prænunciasse visus est, aperto comprobetur exemplo. Eum Philostratus in vita Apollonij hiscé repræsentat : ἔπειχε τὸν οὐρανὸν διοσημία τοιάυτη· τὸν τοῦ ἡλίου κύκλον περιελθὼν στέφανος ἐοικὼς ἴριδι, τὴν ἀκτῖνα ἠμαύρου. *In cælo*, inquit, *tale prodigium apparuit : corona quædam Iridi similis orbem solis circumdedit, & radios ac lumen solis obscurauit.* Et cùm subiunxisset; Præfectum Græciæ δεδιέναι, μὴ ἐς νύκτα μεταστῇ πάντα, *veritum esse, ne cuncta in noctem verterentur :* Apolloninm refert dixisse; θάῤῥει, ἔσται γάρ τι ἐκ τῆς νυκτὸς φῶς; *confide; ex hac nocte consurget lux? cædes videlicet Tyranni* (Domitiani.) Demum enarrans Domitiani cædem à Stephano cubiculario patratam; Στέφανος, inquit, ὃν ἐδήλου τὸ τῆς διοσημίας σχῆμος *Stephanus* (hoc est, Latinè, circulus, (*quem denotabat prodigij illius forma.* Et verò, vt Philostrotus huius solaris Éclipseos meminit, refertque, circulum Iridi similem tunc orbem solarem circumdedisse; sic & Dio, ijsdem penè verbis de Augusti tradit prodigio; ἐς τὴν Ρώμην ἐσιόντος αὐτοῦ, ἶρις πάντα τὸν ἥλιον πολλὴ καὶ ποικίλη περιέσχεν : *Romam intrante Augusto, Iris seu arcus cælestis vniuersum solem multiplex & varius circumdedit.* Et quemadmodum Philostratus de Eclipsi Domitiani retulit, radios Solis tum obscuratos, atque noctis apparuisse speciem, Præfectumque Græciæ timuisse, ne omnia in noctem verterentur : ita Obsequens, de Eclipsi Augusti tradit, solem tunc puri ac sereni cœli orbe modico clausum; &, vt Virgil. cecinit, caput solis atra ferrugine tectum, æternas tunc Orbi intentasse tenebras : Plinius certè, tantam Solis tum fuisse innuit Eclipsin, vt & stellæ cum Sole cernerentur. Commemorat enim & ipse hoc prodigium : *Cernuntur & stella cum sole totis diebus plerumque, & circa solis orbem, ceu spicea corona, & versicolores circuli, qualiter Augusto Cæsare, in prima iuuenta, Vrbem intrante, post obitum*

Patris

Patris ad nomen ingens capessendum. Idq; eo maius fuit visum prodigium; cùm hęc corona circa orbem Solis Augusto apparens, similis fuerit coronæ capiti hominis imponendæ. Testatur hoc Velleius his verbis; *Cùm intraret Romam, Solis Orbis super caput eius curuatus æqualiter, rotundatusq; in colorem arcus, veluti coronam tanti mox viri capiti imponens conspectus est.* Vbi sigillatim notandum, coronam hanc versicolorem non extra Orbem Solis visam, sed ipsummet Orbem Solis curuatum & rotundatum: ideoq; Obsequens ait; *Solem tum orbe modico inclusum.* Nisi dicat aliquis, sentiendumq; putet, hos Autores, nimio adulandi studio, rem alioquin certã, amplificasse, & extulisse sublimius, pictorumq; more quid, vel plusculũ potius adiecisse. A quo vitio num & hîc puri putiq; sint, equidem sponsionem, aut vadimonium promittere nolim.

Aurelius Victor, vti & Auctor Additamenti Virorum illustrium ex antiquis libb. M S S. collecti, tradunt; *C. Iulij Cæsaris occisi cadauere pro Rostris posito, Sol orbem suum celasse dicitur.* Etsi enim non tam citò, tamẽ ante annum à cæde Cæsaris elapsum, visa est hęc, quâ de, agimus, maxima Solis Eclipsis. Incidit n. hic annus V.C. Tab. Cap. 710. A Hirtio, C. Pansã Coss. nobis quidem in annum ante Christi natalem 38. quo currente, ac inchoante, die 14. Ian. vti calculus ostẽdit Astronomicus, Sol in $22^{\circ}. 8'$. Aquarij, Romæ ante meridiẽ horis $3^{\circ}. 5'. 52''$. defecit digitis $11^{\circ}. 0'$. seu $\frac{11}{12}$ partibus, iuxta Tabulas Prutenicas. Cœpit autẽ hæc Eclipsis ante meridiẽ horis $4^{\circ}. 32'. 39''$. desijt, $1^{\circ}. 39'. 5''$. Alius porrò calculus ostẽdit, Solem tum Romæ horis ante Meridiẽ $2^{\circ}. 46'$. defecisse digitis $11^{\circ}. 13'$. Et rursus calculus per resolutiones triangulorum confectus infert Solem tum Romæ horis ante meridiem $3^{\circ}. 15'$. defecisse digitis $11^{\circ}. 59'$.

Tradit autem, & instrumentis exactissimis accuratissimè confectis obseruauit Tycho Brahe, si Lunæ plenæ

ſemidiameter apparens ſit 17′. 3″. quantam etiam tabulæ Prutenicæ in hac exhibent Eclipſi; quòd tunc in coniunctione Lunæ cum Sole ſubtrahenda ſint 4′. 16″. ita vt tunc ſemidiameter eius apparens tantummodò ſit 12′. 47″. Hacque ratione iuxta quemuis calculum in medio huius ſolaris defectus, circũferentia extrema Orbis Solis apparuit circumcirca lucida. Quod ſi ponamus centrum Lunæ tùm è diametro ſub centro Solis apparuiſſe, vt conſequitur, hæc circumferentia extrema Orbis Solis latitudine 4′. 5″. quæ eſt quarta ferè pars ſemidiametri illius; vel, ſi quidem iuxta Tychonem Brahe, ex coæquata anomalia Lunæ, ſtatuamus ſemidiametrum Lunæ 14′. 0″. ſaltem 2′. 52″. quod ſi & Solis ſemidiametrum iuxta Tychonem Brahe, tunc ponamus 15′. 50″. ad minimum latitudine 1′. 50″. circumcirca tum viſa eſt ſplendeſcere.

Cæterùm diminuitur apparens quantitas Lunę ob vicinitatem, & coniunctionem Solis. quia, tunc propinquitas, maiorque vis radiorum Solis; & efficacia, extremitates Lunæ tranſit, easque reddit pellucidas; atque ita, vt conſequitur, ſine dubio ſplendor peripheriæ Solis, Lunæ extremitates tranſiens, diuerſi, varijque erit coloris; ita quidem, vt ſupra memorati Auctores de ſolaris huius defectus corona vnanimiter tradidère.

Quare, concludimus; de hac ipſiſſima Solis Eclipſi, eas Auctorum illorum traditiones omninò eſſe capiendas. Incidit autem hic annus V. C. Tab. Cap. 710. Hirtio Pauſaq; Coſſ. iuxta Vulgares Coſſ. Faſtos in annum ante Chriſtum natum 43. quo nulla penitus Eclipſis Solis viſa fuit. Euoluat enim, cui otium, complures porrò, retrouè annos; nullam aliam reperiet magnam, atque notabilem, ne dum tot hiſtoricorum illorum traditionibus adductis congruam Solis Eclipſin: ita, vt etiam hinc Chronologia noſtra non parum lucis & firmamenti capiat.

CAP.

CAP. CXLVI.

Anno V.C. Tab. Cap. 709. C. Iulio Cæſare V. & M. Antonio Coſſ. ipſe C. Iulius Cæſar Idibus Martijs in Curia eſt confoſſus. Tradit autem Iulius Obſequens; *Nocte*, (quæ videlicet Idus Martias præceſſerat, atq; inchoauerat) *cum valuæ cubilis clauſæ eſſent, ſua ſponte apertas eſſe, ita vt Lunæ fulgore Calpurnia Cæſaris vxor excitaretur.* Atqui iuxta vulgares Coſſ. Faſtos incidit annus ille in annum ante Christi natalem 44. quo currẽte, in media illa nocte, quæ idus Martias inchoarat, Romæ æqualiter medius locus Lunæ à medio loco Solis deinceps fuit, ʒ. 2°. 44′. 50″. Quare, tum exactis post mediam noctem horis duabus, demum Luna Horizontem aſcendit. Quòd ſi quis conſideret altitudinem ædificiorum illius temporis Romæ, & cubile Cæſaris in infima potius, vel certè media contignatione ædium, quàm in culmine ſub tecto fuiſſe; ac Obſequentem ſimpliciter tradere, nocte contigiſſe, non circa diluculum, vel ſummo demum mane, facilè colliget Lunæ fulgorem illa nocte cubile Cæſaris non intraſſe.

At nobis hic annus incidit in annum ante Christum 39. quo currente, illius noctis medio, quod diem Iduum Martiarum cœperat, Rome æqualiter medius locus Lunæ à medio loco Solis deinceps fuit 4. 3°. 3′. 9″. Luna itaq; iam tum in medio illo noctis ſecus Eclipticam aſcenderat vltra Horizontem gradibus 57. Quamobrem iſthæc de fulgore Lunæ in cubile Cæſaris tum intrante traditio huic nocti rectè congruit, noſtræque fauet Chronologiæ.

CAP. CXLVII.

De totali Solis Eclipſi, quæ mortem Auguſti prænunciaſſe viſa, Dio Caſſius Nicæus hæc affert: πέρατα δὲ ἄρα ἐς τοῦτο αὐτῷ φέροντα, οὔτε ἐλάχιστα, οὔτε δυσξύμβλητα ἐγένετο. ὅ, τε γὰρ ἥλιος πᾶς ἐξέλιπε. *Prodigia, quæ id ei pronunciarent, vel eò tenderent, neq; minima, neq; obſcura euenerant. Nam & Sol totus*

defecerat. Qui, mox ibidem ſubdit: ταῦτα μὲν ζῶντος ἔτ' αὐτοῦ προεφάνη. *Hæc*, inquit, *prodigia, viuo adhuc Auguſto ante mortem eius apparuerunt.* Zonaras hic propè ijſdem verbis conſonat. ἀλλὰ καὶ τέρατα πρὸς τοῦτο φέροντα προσέπεσε πλείονα. ὅ, τι γὰρ ἥλιος ἅπας ἐξέλιπε. ταῦτα μὲν οὖν ζῶντος ἔτι αὐτοῦ προεφάνη. Euſebij & S. Hieronymi Chronicon hæc habet: *Defectio Solis facta, & Auguſtus anno 76. ætatis ſuæ moritur.* Itaque totalis hęc Eclipſis & maxima facta traditur viuo etiamnum Auguſto; ita, vt mortem eius breui poſt ſecutam, prænunciaſſe ſit viſa.

Hanc Eclipſin Solis totalem, vel certè non minus, quàm illam alteram item maximam, quæ C. Iulij Cæſaris cædem eſt conſecuta, quæſiuerunt diu multumq́; viri vndiquaq; doctiſſimi; ſed eadem propè infelicitate. Inuenit quidem eam Paulus de Mittelburgo, Fori Sempronij Epiſcopus, vt hiſce teſtatur: *Anno*, inquit, *Domini Saluatoris iuxta conſuetam ſupputatiouem 17. totus Sol Romæ & in compluribus Italiæ locis viſus fuit obſcurari, die Febr. 15. hora ferè meridiana, per 12. puncta, in 26. gradu Aquarij, Sole domum regiam poßidente; quamobrem iuxta Chaldæorum ſententias mortem ſummi Regis portendebat.* Sed, quomodo hoc huius deliquij ſolaris tempus Conſularibus applicaret Faſtis, non habebat. Mihi, ſeu meæ calculationi & Chronologiæ, & vt puto, verè, obijt Auguſtus anno vulgari Chriſti 19. Quocirca, iſthæc Eclipſis tertio ante Auguſti mortem euenit anno. Certè calculus ex datis Nicolai Copernici per reſolutiones triangulorum, quoad eius fieri potuit, exactiſſimus, oſtendit, anno vulgari Chriſti 17. currente, Solem in Aquari; 25°. 6′. 32″. Romæ ante meridiem horis 1°. 43′. 15″. defeciſſe punctis 11°. 17′. Alius calculus exhibet horis ante meridiem 1°. 36′. Obſcurationem digitorum. 11°. 19′. Et alius calculus horis ante meridiem 1°. 23′. oſtendit digitos Romæ obſcuratos. 11°. 18′.

Alius

Alius porrò calculus è Prutenicis Tabulis deductus, paralaxibus tamen ex triangulorum & sinuum doctrina supputatis, concludit, Solem Romæ tum horis ante meridiem 1. 54. defecisse digitis 10. 45. Ita, vt sine dubio, maxima tunc Solis Eclipsis fuerit visa. At iuxta vulgares Coss. Fastos, anno Christi Vulgari 14. Augustus obijt, tertio, antequam hæc Eclipsis fieret, anno. Proinde, vulgares Coss. Fasti, nullo modo hic possunt consistere. Nec enim vlla, nedum maxima Solis Eclipsis illo anno Christi 14. vel etiam annis proximè præeuntibus, in nostro apparuit hemisphærio.

Porrò in maxima hac Solis Eclipsi, quæ Augusti mortem visa portendere, Autoribus ijs, de quibus supra, etiam accedit Nicephorus, Callisti Xanthopulus, lib. 1. cap. 17. *Augustus*, ait, *cùm quadraginta tres, siue, vt alijs placet, quadraginta septem annis, vnus ipse Imperator fuisset, & supra 75. annos vixisset, obijt. Quo tempore traditur Solis fuisse deliquium, & fames maxima.* Atq; hac traditione: tanquam manu ducimur in ipsissimũ hunc ante mortem Augusti annum tertium, qui relegationem Archelai Regis proximè secutus est: & descriptionem prædiorum τῆς οἰκουμένης sub Quirino Syriæ Præside factam, teste Dione, proximè antecessit. Quod enim Iudas Galilæus exstiterit tempore καταγραφῆς, professionis, aut descriptionis, prædiorũ videlicet totius terrarũ Orbis (Romanis tum subiecti) affirmat D. Lucas Act. 5. v. 37. cui Iosephus adstipulatur Antiquitat. l. 18. c. 1. vbi addit; factum id esse post relegationẽ Archelai, atq; famem tum obortam. Et, ne putemus famem hanc, quam descriptionis mundi tempori assignat Iosephus, in Iudæa duntaxat grassatã; accedit autoritas C. Plin. qui lib. 7. cap. 3. hæc disertè habet: *Annis proximis, supremis D. Augusti, Fausta quædam, è plebe, Ostiæ, duos mares, totidemq; fœminas enixa, famem, quæ consecuta est, portendit haud dubiè.* Si ergò Faustæ

huius

huius partus prodigiosus annis Plinio proximis, & Augusti postremis euenit; famesque id prodigium est consecuta; sequitur famem istam secundo, vel certè tertio antè mortē Augusti anno fuisse. Nec enim aliàs prodigium illud postremis Augusti annis rectè adscriberetur.

Aliam quoque sub Augusto famem euenisse refert Dio; anno scilicet octauo exeunte, atque iniente septimo ante illum annum, quo Augustus obijt: quod tempus, prodigium illud, cuius iam meminimus, postremis Augusti annis factum, præire non potuit. Quin & aliam quoque sub eodem Augusto famem describit idem Dio, anno ante mortem Augusti decimo, atque nono; quæ tamen etiam ipsa, ratione temporis, memoratæ traditioni multo adhuc minus congruit.

Cæterùm sigillatim hîc obseruandum; id, quod hîc decimo & nono antè mortem Augusti annis Dio refert: De anno siquidem ante obitum Augusti decimo ait; *ὅτε ἡλίου τι ἐκλειπὲς ἐγένετο, καὶ λιμὸς συνενέχθη. Et Sol*, ait, *aliqua parte defecit, & fames est coorta.* De anno verò subsequente, hoc habet; *ὁ δ' οὖν ὅμιλος τοῦ λιμοῦ ἤχαλλε. ὅ, τε, Ἡρώδης ὁ Παλαιστηνὸς* (Archelaus videlicet) *αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβὼν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ὑπερωρίσθη, καὶ τὸ μέρος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδημοσιώθη. Plebs*, ait, *fame malè affecta, & Herodes Palæstinus à fratribus accusatus, trans Alpes est relegatus, ac pars eius ditionis in publicum est redacta.* Hæc Dio. Constat verò cùm ex Iosepho, tum ex alijs Historicis; atque adeò ipsa temporum ratio, rerumque gestarum series exigit, id de Archelao esse accipiendum; qui tamen, vt ex sequentibus patebit, anno demum ante mortem Augusti quarto relegatus est. Certum est autem in primis, Dionem, & eos, quos hic secutus est, Vulgares Consulares Fastos, esse secutos: & verò ipsos Consulares Fastos vnà congruere: quòd scilicet eadem illa Solis Eclipsis quam & fames, & mors Augusti consecuta

ta sunt, quarto demum post mortem Augusti anno contigerit. Quamobrem nolens volens Dio, vel is, è cuius fontibus ille hausit, Autor, coactus est aliam aliquam Eclipsin quærere, quam & fames & mors Augusti sunt insecuta. Incidit autem annus ante obitum Augusti decimus iuxta Vulgares Coss. Fastos in annum Christi V: calculusq; Astronomicus ostendit, anno vulgari Christi quinto, Solem in 29°. 57'. 17''. Piscium Romæ post meridiem horis 4°. 51'. 4''. defecisse digitis 5°. 10'. sicque non omninò mediam Diametri eius partem esse obscuratam.

Tantum verò abest, hac Dionis traditione Vulgares Coss. Fastos confirmari; vt ea potius hanc nostram sententiam & Chronologiam stabiliat; fontes & originem, adeoque primæuam errorum horum Chronologicorum prodat scaturiginem.

Quis etiam credat, exiguam hanc Solis Eclipsin, quæ nec dimidiam quidem diametri solaris orbis partem texerit, & ab harum rerum imperitis vulgò vix aduerti potuit, posteritati traditam; alteram verò illam totalem, vel certè maximam ab Auctoribus silentio præteritam? Et quis denique credat, hanc tantillam Solis Eclipsin, vnicâ, antequam Horizontem Sol subiret horâ, Romæ factam, portendisse mortem Augusti; quæ re verâ 15. & iuxta ipsissimos Vulgares Coss. Fastos decimo demum post anno contigit? Cùm præsertim anno proximè sequente, Christi sexto, & ante mortem Augusti, 14. sed iuxta Vulgares Coss. Fastos, 9 Sol Romæ similem passus fuerit obscurationem. Currente namq; anno Christi sexto Sol in 15°. 28'. 33''. Virginis, Romæ ante meridiem horis 5. 47'. 20''. defecit item digitis 5. 4'.

CAP. CXLVII.

Herodis primi, seu Magni regno, & Iosephus, & alij plerique Historici triginta septem annos tribuunt. Hosce

regni Herodis annos, ex eo tempore, quo Hierosolymas ceperat, exsurgere, in primis inde apparet; quia, aliud est, esse, vel nominari Regem; aliud, regnare. Priusquam autem Hierosolyma ceperat Herodes, Iudæam non ipse, sed Antigonus rexerat. Hinc Iosephus lib. Antiquitat. 14. sub finem; Hierosolymis ab Herode captis, & Antigono cæso, hæc subdit; ὃ γενομένου παύεται ἡ τοῦ Ἀσαμοναίου ἀρχὴ, μετὰ ρκϛ. ἔτη. οὗτοι μὲν, διὰ τὴν πρὸς ἀλλήλους στάσιν, τὴν ἀρχὴν ἀπέβαλον, μετέβη δ᾽ εἰς Ἡρώδην. καὶ τοῦτο μὲν τὸ τέλος τοῦ Ἀσαμοναίων γένους παρειλήφαμεν. *Antigono sublato, Assamonaeorum imperium desijt, post annos 126. Hac familia intestinis seditionibus agitata amisit imperium, idq; ad Herodem transiit. Atque hunc Assamonaeorum finem à maioribus traditum habemus.* Hæc Iosephus: qui hoc ipsum clarius ostendit Eiusdem operis lib. 17. cap. 8. vbi de hoc ipso Herode tradit eiuscemodi: Ἐκκλησιάσας τοῦ ναοῦ τὴν κατασκευὴν ὡς μεγάλοις τέλεσι τοῖς αὐτοῦ γένοιτο, μὴ δυνηθέντες ἔτεσιν ἑκατὸν εἴκοσι πέντε τῶν Ἀσαμοναίων, ἐν οἷς ἐβασίλευον, τοῖον δέ τι ἐπὶ τιμῇ πρᾶξαι τοῦ θεοῦ. *Tum*, ait, *Herodes in concione commemorauit templum impendijs suis ingentibus instauratum, nec Assamonaeos potuisse 125. annis, quibus regnauerant, tale aliquod opus in honorem DEI perficere.*

Præterea idem Iosephus, ex Nicolao vtique Damasceno, (quem lib. Antiquit. 16. c. 11. refert, viuo, adhuc, & Tetrarchæ nomine in Iudæá imperitante Archelao, res ab Herode gestas conscripsisse) narrat lib. 1. captiu. Iudaic. c. 14. (in Latino contextu & tralatione c. 13.) quæ Herodes Actiaco bello conflato, contra Arabes gesserit; atque hinc subdit; ἀμυνομένου δὲ τοὺς ἐχθροὺς ἐπιπίπτει συμφορὰ δαιμόνιος ἄλλη. κατ᾽ ἔτος μὲν τῆς βασιλείας ἕβδομον, ἀκμάζοντος δὲ τοῦ περὶ Ἄκτιον πολέμου. κατὰ γὰρ ἀρχομένου ἔαρος, ἡ γῆ συσεῖσα, ἀνθρώπων διέφθειρε τρεῖς μυριάδας. *Dum Herodes hostes impugnaret, incidit in eum alia diuinitus calamitas. Nam circa annum re-*

gni eius septimum, Actiaco bello tum maximè feruente. Vere ineunte, terræ motus triginta hominum millia perdidit. Libro tamen Antiquitat. 15. cap. 7. eundem terræ motum perniciosum, nulla interim Actiaci belli facta mentione, anno item regni Herodis septimo adscribit. Id ad annum V. C. Tab. Cap. 713. quo Rex Romæ appellatus est Herodes, nulla referri potest ratione: cùm pugna ad Actium contigerit in autumno anni 722. Sed ab anno 716. quo Hierosolyma ceperat Herodes, ritè septimus tum numeratur annus, cùm ad Actium Cleopatram & Antonium vicit Augustus.

Idem Iosephus ibidem lib. 15. c. 12. famem in Iudæa vnà cum peste grassatam, refert anno regni Herodis 13. subiungitque; Ælium Gallum in Arabiam suscepisse expeditionem; at Dio, eam adscribit anno V. C. Tab. Cap. 729. Ergò regnum Herodis demum cœpit anno V. C. 716. quo is cepit Hierosolyma.

Ille ipse Iosephus Antiquit. l. 15. c. 13. Et rursum lib. 16. c. 9. De bello verò Iud. l. 1. c. 16. Herodem ait anno regni sui 18. cœpisse; anno verò regni 28. Vrbem Cæsaream in Augusti honorem exstinctam perfecisse; subditq;, quod Herodes idem in honorem Drusi immatura morte sublati, turrim illic portus maximam & pulcherrimam, Drusi nomine appellarit, in eiusdem Augusti haud dubiè gratiã: Obijt autem Drusus anno V. C. Tab. Cap. 744. à quibus, si anni 28. subtrahantur, relinquitur annus V. C. Tab. Cap. 716. quo Herodes occupauit, vt dixi, Hierosolyma.

Præterea, inter annos regni Alexandræ 9. & annos regni Herodis 37. Philo Hebræus iunior, Ioannis Annij, (hoc est, opusculo, quod Io. Viterbiens edidit) intermedios ponit, interseritq; annos 34. Hyrcani. Quamobrẽ, etsi statuamus An. V. C. Tab. C. 682. (quo Mithridates è Ponto ad Tigranẽ Armeniorũ Regẽ profugit, ab eoq; recept⁹, Luculli

equitibus prædæ inhiantibus eſt elapſus) Alexandram reginam obijſſe: (ſiquidem ex ijs, quæ Ioſephus Antiquitat. extremo 13. & initio 14. libri tradit, citius obiſſe non potuit) nihilominus regnum Herodis, eiusque 37. anni regni ante S. Vrbem captam & occupatam initium habere non potuerunt. Demum Hebræi templi poſterioris incendium & abolitionem anno mundi 3828. regniq; Hagarenorum, initium videlicet Herodis Idumæi anno mũdi 3726. ſignant. Itaque ſublatis 3726. ex 3828. ab initio regni Herodis ad Hieroſolymorum excidium remanent ritè anni 102. Conſtat verò, Hieroſolyma, Chriſti anno Vulgari 70. exciſa; ipſeque annus V. C. Tab. Cap. 716. quo Herodes Hieroſolyma occuparat, mihi, meoque calculo in annum ante Chriſtum 32. incidit. Porrò anni Chriſti 32. antè; ac 70. poſt Chriſtum conflant annos ipſos 102. Et quibuſnam Autorihus hac in re potius, quàm ipſis Iudæis fidem habebimus? Ipſe etiam Ioſephus, Antiq. 20. 8. ab Herodis principatu vſque in diem qua templum & vrbs incenſore Tito, conflagrauit, numerat annos 107. ex Vulgaribus, ſcilicet Conſulum Faſtis, iuxta quos Hieroſolymam cepit anno ante Chriſtum 37. quibus ſi addas annos Chriſti 70. conflabis annos 107. Perperam igitur Ioſephus, Hebræus quidem, ſed Romanorum, opinor, traditionem ſecutus (qui eo tempore, quo Archelaus à fratribus accuſatus fuit, anno poſt obitum Herodis quinto, eiuſdem etiam relegationem ſignauerant) annos Herodis 37. ab eo inchoat tempore, quo Romæ Rex appellatus fuit; cum tamen ex ea die anni regni conſurgant potius, qua Hieroſolymis captis re verâ Iudæam cœpit regere. Indicat autem eam diem Ioſephus eiuſdem Operis lib. 14. c. 8. & 28. ἡμέραν καὶ ἑορτὴν τῆς νηστείας, menſe, ſcilicet obſidionis tertio. Eſt autem dies Ieiunij dies decima Hebræis menſe Tiſri, Macedonibus menſis Hyperberetæi, nobis 17. Sep-

tem-

tembris. Exeunte igitur anno V. C. Tab. Cap. 753. & ineunte 754. qui quidem mihi in annum Christi vulgarem septimum incidit, circa tempus Paschæ, Iosepho teste lib. Antiq. 17. cap. 8. 10. & 11. quo Herodes primus, seu Magnus obijt.

CAP. CXLIX.

Paucis certè ante obitum suum diebus, Herodes hic, seditionis Autores exussit viuos; vti habetur apud Iosephum Antiq. lib. 13. c. 8. Vbi subiungit; καὶ ἡ σελήνη δὲ τῇ αὐτῇ νυκτὶ ἐξέλιπε: *Et Luna* inquit, *eâdem illa nocte defecit.* Moriente itaque paulò post Herode, populus præsente iam Paschæ festo, seditionem mouit contra Archelaum, vt tradit idem Iosephus eôdem lib. c. 11. Sanè, Vulgari anno Christi septimo, 20. Febr. Sole in 29°. 51'. seu fine Aquarij versante, Luna Hierosolymis horâ vnâ ferè ante noctis medium defecit digitis 21°. 18'. Maximus itaque tum Lunæ defectus fuit vno atque altero circiter ante Paschæ festum mense: quæ quidem Eclipsis huic nostræ Chronologiæ, non secus ac aliæ, de quibus supra suis locis actum, adstipulatur plurimum. Nam, etsi complures retrò euoluantur anni, nulla penitus Lunæ Eclipsis circa Paschæ festum occurret: vt dubium non sit, quin hoc anno CHRISTI vulgari septimo V. C. Tab. Cap. 753. ineunte obierit Herodes Magnus, annis post Hierosolyma capta 37. exactis. Sed & Philo in eodem suo de temporibus Breuiario: *Herodes*, ait, *iubente senatu Romano, inuitis Hebræis, regnum Tyrannicum inijt; annoq. 30. principatus seu tyrannidis, Zanedrin,* (συνέδριον) *è domo Dauid deleuit.* Mox addit: *Idemq. proprium filium interemit quod diceretur iam in lege promissus Christus natus. Fessi tandem Hebræi, vltrò ipsi ac eius posteris regnum obtulerunt: in eius fide, ac posterorum sese permansuros iurantes. Regnauit hic primus Herodes, Ascalonita, tyrannico principatu*

 annis

annis 31. & legitimo, sex. Hæc Philo in opusculo à Io. Annio Viterib. edito.

Id ipsum asserit Iosephus Antiq. lib. 17. c. 3. cum meminit illius temporis, quo Antipater Herodi patri struxerat insidias; annis scilicet ante mortem Herodis circiter sex; *Cùm tota*, inquit, *gens Iudæorum, fidem suam iureiurando obligasset Regi & Cæsari, soli Pharisæi non iurarunt, excedentes sex millium numerum: quibus hoc nomine à Rege mulctatis, Pherore uxor pro eis mulctam persoluit: cui gratiam referentes, quoniam credebantur futura præscire ex DEI colloquijs, prædicebant: decretum esse à Deo, regnum ablatum iri ab Herode, & eius progenie.*

CAP. CL.

Quà de Herodis Magni ætate, tradit Iosephus libro Antiquitatum 14. c. 15. & 16. Antipatrum Herodis Patrem à C. Iulio Cæsare προστάτην seu ἐπίτροπον, Procuratorem; Præsidemuè Iudeæ datum, sequenti cap. subdit; Herodem, tum tantum annos. 15. natum, ab Antipatro Patre Præpositum Galileæ: nec dubito, id ita esse: præsertim cùm idem Iosephus in eodem lib. c. 11. recenseat; à Gabinio, cùm is anno V.C. Tab. Cap. 698. Ptolemæum Regem in Ægypti regnum reduceret, præmissum in Iudæam Antipatrum; ab eoque multos ad officium, & obsequium reductos, ac ex Antipatri sententia iam tum res Hierosolymorum à Gabinio esse dispositas; mihi valdè fit verisimile, tunc ab Antipatro patre filium Herodem rebus gerendis & agendis adhibitum, iam annos natum fuisse 15. Quod, si admittamus; natus est Herodes, Anno V.C. 683. Et quoniam anno 754. ineunte obijt, septuagenarium fuisse statuendum est: idq; Iosephus lib Antiq. 17. c. 8. quem & Ge. Cedrenus sequitur, disertè affirmat, nostræque huic Chronologiæ consonat.

CAP.

CAP. CLI.

De ætate porro Caij, qui Augusti filius fuit adoptiuus, Iosephus tradit; Herode defuncto, Archelaum Romam esse profectum; Augustumque amicos tunc vocasse in consilium: in eoque consessu, Caio filio suo adoptiuo primum locum dedisse. Libro namq; Antiq; 17. c. 11. *συνῆγεν*, ait, *τοὺς φίλους, σὺν οἷς, καὶ Γαΐον τὸν Ἀγρίππου μὲν καὶ Ἰουλίας τῆς αὐτοῦ θυγατρὸς υἱὸν, ποιητὸν δὲ αὐτοῦ γεγονότα, πρῶτον δὲ καθεζόμενον παρέλαβε.* *Conuocauit*; inquit, *amicos in consilium, & inter hos Caium Agrippæ & Iuliæ filiæ suæ quidem filium, sed abs se adoptatum, primum ei locum in assessoribus tribuit.* Et de bello Iudaico, l. 1. cap. 4. aliâs l. 2. cap. 1: *συνέδριον μὲν ἀθροίζει τῶν ἐν τέλει Ῥωμαίων, ἐν ᾧ καὶ τὸν ἐξ Ἀγρίππα, καὶ Ἰουλίας τῆς θυγατρὸς θετὸν παῖδα Γάϊον πρώτως ἐκάθισεν.* *Consilium*, ait, *collegit ex Optimatibus Romanorum; inter hos & Caium Agrippæ, & filiæ suæ Iuliæ filium aduotauit, eumq; primum sibi assidere iussit.* Scio quidem, non deesse, qui hisce verbis tantummodò insinuari velint, Caium tum primùm negotijs publicis adhibitum: sed, id falsum esse, tum ex contextu ipso liquet, tum ex sequentibus satis patebit. Namque Augustus in hoc consessu celeberrimo, maximisq; de rebus instituto, non vtique Caio adolescenti, etsi tum vel Consul Designatus, vel in magistratu, vel consularis iam fuisset, ante & supra alios omnes Assessores, Consules, consulares, & triumphales viros, Romanorumq; Optimates principem locum dedisset: si non iam tum maius aliquod accepisset, tenuissetque imperium, quàm cæteri omnes habuissent, aut haberent. Quare ita statuo. Anno V. C. Tab. Cap. 747. malignis moribus Caij & Lucij nepotum emergentibus, seque prodentibus, Augustus Tiberio Tribunitiam potestatem in quinquennium dedit; eodemque exeunte anno

vt est apud Dionem, Tiberius secessit Rhodum. Anno dehinc V. C. 748. sequente, Augustus, vt est apud Sueton. consulatum XII. (& quidem ordinarium, vltrò petijt, (quem Cal. etiam Ianuarijs inijt) idque eam ob causam, vt amplissimo præditus magistratu, Caium filium suo (ipsius Caij videlicet negotiorum publicorum) tirocinio deduceret in forum. Iam tum itaque Caius negotijs publicis cœpit interesse. Anno autem ab hinc tertio V. C. 751. idem Augustus, eodem asserente Suetonio, ob causam similem XIII. Consulatum vltrò item petijt; vt Lucium quoque filium, suo etiam tirocinio in forum duceret.

Eodem hoc anno, nimirum Augusto XIII. & C. Caninio Coss. cùm iam Parthus à Romana desciscens societate ac amicitia, manum Armeniæ adijceret; in Vrbe, vt Velleius meminit, magnificentissimi gladiatorij muneris, & Naumachiæ spectaculis exhibitis, Augustus filiam suam Iuliam relegauit. Quam quidem Naumachiam Augustus eam ob causam exhibuisse visus est, vt animum Caij ad bellum Parthicum, quod parabat, incitaret. Nec enim hoc bellum gerere tum cœperat Augustus, sed parabat duntaxat, id quod ex illo Ouidiano satis colligas Elegidio;

Quid modò cum belli naualis imagine Cæsar
Persidas induxit, Cecropiasq; rates:
Ecce parat Cæsar, domito quod defuit orbi,
Addere; nunc Oriens Vltime, noster eris.
Vltor adest primisq; Ducem profitetur in annis,
Bellaq; non puero tractat agenda, puer.
Auspicijs, annisq; patris puer arma mouebis:
Et vinces annis, auspicijsq; Patris.
Tale rudimentum tanto sub nomine debes,
Nunc Iuuenum princeps, deinde future senum.
Cùm tibi sint fratres, fratres vlciscere læsos.

Hæc

Hæc in Eroticis ſuis & luſibus pauliſper ſerius Naſo.

Lucium enim tunc & Agrippam fratres habebat Caius, quo de, nunc agitur. Velleius eorundem diſertè meminit. Poſt naumachiam enim, & relegationem Iuliæ, ſubiungit iſta: *Breue ab hoc interceſſerat ſpatium, cùm Caius Cæſar, antè aliis prouinciis* adſidendum obitis, in Syriam miſſus eſt.* Proinde, biennio poſt hanc naumachiam anno videlicet V. C. 752. & 753. quo idem Caius Cæſar annorum viginti conſulatum gerens, miſſus eſt in prouincias alias, vt earum adſideret Præſidibus. Nam & Sueton. de Caio Cæſare, ac eiuſdem fratre Lucio refert, eos Coſſ. Deſignatos circũ prouincias, exercitusq; dimiſſos. Lucius certè Cæſar, triennio minor, demum 754. anno exeunte in Hiſpaniam eſt miſſus. Anno igitur V. C. 754. Vulgari Chriſti ſeptimo, cùm circa Paſchæ tempus obiiſſet Herodes, Archelaus eius filius menſe Aprili, aut Maio Romam venit, & teſtamentum Patris Auguſto exhibuit: qui quidem Auguſtus in aſſeſſu & conſeſſu vocati hoc nomine amicorum conſilii, Caio, non modò iam conſulari, & annos 21. nato, verùm etiam toti Orienti præpoſito, adeoq; in ipſo profectionis ſuæ procinctu verſanti, haud immeritò primum locum dedit, vt qui iam tum maius acceperat imperium, quàm vllus aſſeſſorum, licet Conſulum aut conſularium, & triumphalium virorum vnquam habuiſſet. Ineunte igitur æſtate anni huius, Caio in Syriam diſcedenti, Tiberius in Chium & Samum obuiam profectus, alieniorem à ſe ſenſit Caium ex criminationibus M. Lollii Comitis eius & Rectoris: mox tamen idem Caius exorabilis Tiberio fuit; ideoq;, permittente Caio, reuocatus Tiberius ab Auguſto, qui deſtinarat nihil ſuper ea re, niſi ex voluntate Caii ſtatuere; hoc eodem anno V. C. Tab. Cap. 754. exactis Rhodi 7. annis iniente octauo Romam rediit, biennio ferè pòſt, quàm Tribunitiæ poteſtatis quinquennium exegiſſet.

* *Legit Lipſius ad viſendum.*

Nec ita multò post circa mensem fortè Nouemb. hoc eôdem anno Lucius Cæsar Hispanias petens, Massiliæ obijt; & post annum fermè, vti tradit Velleius, vel certè intra duodeuiginti mensium spatium, vti habet Sueton. etiam Caius obijt, anno videlicet V.C. Tab. Cap. 756. ineunte Christi anno 9. sex. Ælio Cato, C. Sentio Saturnino Coss. circa mensem fortassis Aprilem. Postquam verò nuncius de obitu Caij Romam venerat, Augustus, ne filijs iam ambobus priuatus vitæ suæ discrimen insidijs exponeret, continuò adoptauit Tiberium hoc eodem anno 5. Calend. Iul. teste Velleio, cui consentit & Suetonius. Refert enim Tiberium Romam reuersum (anno scilicet 754.) Caio & Lucio intra triennium defunctis, adoptatum ab Augusto, anno 756.)

Quate non immeritò, Anno scilicet V.C. 754. circa æstatis initium discessum Caij in Orientem signamus; qui, vt ostensum, omninò interfuit consilio de tetrarchia Archelai Romæ ab Augusto collecto. quæ deductio temporum, non parum facit ad hanc nostram Chronologiam.

CAP. CLII.

Vt compendio habeantur potiores Auctorum sententiæ de temporibus circa Christum, à monarchia, videlicet C. Iulij Cæsaris ad vsque Vespasianum; notandum, iuxta Consulares Fastos vulgares, annum illum Iulianum, quo currente obijt Augustus, sextis videlicet Coss. hoc est, annum V. C. Tab. Cap. 766. incidere in annum Christi vulgarem 14. Ab eoque anno (exclusiuè) vsq; in annum secundum Vespasiani, seu annum Christi 70. quo Hierosolyma vastata (inclusiuè) numerari 56. annos: ita vt hoc interuallum temporis integro item redundet quinquennio. Quippe quinque Consulum pro Ordinarijs suffectorum paria, in hoc temporis interuallo in Fa-

stos

ſtos Coſſ. vulgares irrepsère interpoſita. Cæterùm iuxta enumerationē, & collectionem annorum Imperij Imperatorum interiectorū, notandum; in hoc ipſo temporis interuallo, numerari annos 58. ſicq; biennio amplius: atq; ideò tunc annum Iulianum illum, quo currente Auguſtus obijt; incidere in annū vulgarem Chriſti 12. (ſeu annum diuinæ ἐνσαρκώσεως Conſtantinopolitanum 15.) cui addunt annos 23. Imperij Tiberij; & quatuor Caij: & 14. Claudij; totidem Neronis; Galbæ ac conſortum annum vnum; Veſpaſiani duos. Et ſic, ac ritè quidem colligunt, anno Chriſti vulgari 70. Hieroſolyma vaſtata. Re enim verâ anno CHRISTI vulgari 70. (qui exinde dicitur, & eſt primus annus Samoſatæ, & Comagenæ, ſeu Euphratenſis Syriæ) occupata, & deleta ſunt Hieroſolyma: tametſi hoc ipſum temporis interuallum, vt è dictis colligitur, integro redundat ſeptēnio. Ita quidem Imperij horum Impp. annos enumerat Autor antiquiſſimus; qui anno Veſpaſiani ſexto, Dialogum de Oratore conſcripſit: cui ſententiæ Chronicon Euſebij, vt & S. Hieronymus, Chriſtianiq; ſcriptores Veteres paſſim, tum Latini, tum in primis Græci ſuſcribunt.

CAP. CLIII.

Obſeruandum etiam hoc loco, pleroſq; Veteres, & quidem omnium vetuſtiſſimos Patres, tradidiſſe, Chriſtum 25. Martij, ſeu 8. Calend. April. feria ſexta, & quidem Geminis Coſſ. ſicq; anno Tiberij, à morte Auguſti 15. pro mundo mortuum. Hi omnes Authores, vulgares Coſſ. Faſtos ſunt ſecuti. Iuxta hos n. annus poſt mortē Auguſti 15. coincidit in annum Chriſti vulgarē 29. quo anno iſti, vti & pleriq; alij Chriſtiani veteres, iuxta Conſtantinopolitanū morē numerabant annum nati Chriſti 31. Hoc. n. ipſo vulgari Chriſti anno 29. litera Dominicalis B. oſtendit feriam ſextam, ſeu diem Veneris, die 25. Martij, ſeu 8. Calen. April. Atq; hinc eôdem illo anno, & eâdem illa die, arbitrati ſunt

Chriſtum anno à natiuitate ſua 31. mortem pro nobis oppetijſſe.

Quare Tertullianus, aduerſus Iudæos c. 8. *Auguſtus,* inquit, *ſuperuixit poſt natiuitatem Chriſti, annis* XV. *Cui ſucceſſit Tiberius Cæſar: huius quinto decimo anno Imperij paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi* XXX. *cum pateretur.* Et paulò poſt; *Quæ paſſio perfecta eſt ſub Tiberio Cæſare Rubellio Gemino, & Rufio Gemino Coſſ. menſe Martio, temporibus Paſchæ, die* VIII. *Cal. Aprilis.* Idemque Tertull. aduerſus Marcian. lib. 1. c. 15. Chriſtum Dominum anno XII. Tiberij Cæſaris reuelatum eſſe ſcribit.

Ita S. Hippolytus Epiſcopus & Martyr in Canone ſuo Paſchali marmori inciſo, anno Cycli ſui (ſeu iuxta morem Conſtantinopolitanum Incarnat. Chriſti) 2. adſcribit *γένεσιν χριστοῦ, natiuitatem Chriſti*; &, quod ſequitur, anno nati Chriſti 31. cycli 32. hoc eſt, hoc ipſo anno vulgari Chriſti 29. *πάθος χριστοῦ paſsionem Chriſti*, adſcribit 8. Cal. April. ſextæ feriæ. Et qui Hippolytum ætate præceſſit Clemens Alexandrinus pari ratione, iuxta morem Conſtantinopolitanum annos nati Chriſti biennio ante inchoat vulgarem Epocham Chriſti: ideoque mortem Commodi annis 194. M. 1. d. 15. à nato Chriſto ſignat: & à morte M. Antonij ad mortem Commodi 222. annos numerat; Chriſtumque natum anno 28. Monarchiæ Auguſti aſſeuerat: quibus 28. annis ex 222. ſubductis, remanent anni 194. Demum concludit, Chriſtum annos ipſos 30. natum, ante Hieroſolymorum euerſionem annis 42. menſibus 2. eſſe paſſum. Ab Anno igitur Chriſti vulgari 70. quo euerſa & vaſtata eſt Vrbs ſancta, ſubtrahe annos plenos 41. & relinquitur initium anni vulgaris Chriſti 29. quo Chriſtum eſſe paſſum credidit Clemens.

Hanc eandem ſententiam ſequitur B. Sulpitius Seuerus, qui Chriſti mortem Fuſio item Gemino, & Rubellio

Gemi-

Gemino Coss. adscribit; inde, in annum Christi vulgarem 400. Stilicone primùm Consule, numerat annos 372. & quidem iuxta vulgares Coss. Fastos rectè (ita, vt Carol. Sigonius Autorem hîc non corrigens, sed corrumpens, pro 372. perperam interpolet, legatq; 367.) Nec obstat, quod Seuerus idem Geminis illis Coss. numerat annum Tiberij 18. Etenim annos imperij in prouincijs vtiq; triennio ante mortem Augusti orditur. Sabino enim & Rufino Coss. 8. Cal. Ian. asserit Christum esse natum. Quare priores illos ἐνσαρκώσεως Christi annos 15. imperio tribuit Augusti; & reliquos 18. Imperio Tiberij. In eo tamen, ratione annorum ætatis Christi, à Constantinopolitanorum more deuiat; quia, annos Iucarnat. illorum, ipse pro annis nati Christi assumit.

Nec desunt, qui cum Tertulliano tradiderunt, Christum anno ætatis 30. passum, vt supra ex Clemente Alexandrino notatum; & testatur id Stephanus Gobarus Tritheita in Bibliotheca Photij: pag. 475. Illi verò, qui Geminis quidem Coss. anno 15. Tiberij (non tamen die 8. Cal. April.) Christum esse passum asserunt, non vulgares Coss. Fastos, ad rationem Plinij, Taciti, Dionisque concinnatos sequuntur; sed ab Augusti obitu, deinceps annos vulgares Imperij Impp. sequentium numerant: quibus quidem, consulatus Geminorum Consulum, seu annus Tiberij decimus quintus in annum Christi nati vulgarem 27. incidit, quo passum Christum autumant. Non tamen die 8. Cal. Apr. Cum illo anno litera Dominic. E. diem Veneris demum die 5. Calen. Apr. signet sic Victor Capuanus Episcopus Imp. Iustiniani temporibus inchoat cyclum suum ab anno Christi vulgari 27. scilicet, à Geminis vtique Coss. ideoque Calendæ Ianuariæ, seu prima Ianuarij dies, exeunte anno Christi vulgari à tempore τῆς ἐνσαρκώσεως, atque Paschæ, consurgente 735. hoc est, prima dies Ianuarij, quæ

inchoat annum Christi vulgarem 736. literis Dominicalibus A. G. cadit in diem Dominicum, anno cycli eius 177. si enim ad annos plenos Christi vulgares 26. addes integrũ cyclum 532. annorum; & præterea 177. annos; prodibit ritè ac exactè annus τῆς ἐνσαρκώσεως Christi 735.

Quin & ante Victorem Capuanum in Lodonensi exemplari Chronicorũ Prosperi; cùm anno Domini 436. (qui est annus Christi vulgaris 433.) statueretur cõsulatus Theodosij 14. & Maximi; tandem in annorum collectione hæc subiunguntur: *A decimo quinto Tiberij anno, & passione Domini, vsq; in hos cõsules, anni sunt* 406. Itaq; subtractis hisce 406. annis ab annis Christi vulgarib. 433. ille ipse vulgaris Christi annus 27. remanet; quo Christũ tum fuisse passum, opinabãtur. Sic in fine Chronicorũ Marcellini Comitis hæc habẽtur: *A passione Domini vsq; ad Consulatũ D.N. Theodosij Augusti* XV. *anni sunt* CCCC. IX. Quod si anni isti 409. subducantur ab anno Christi vulgari 435. quo Theodosius Augustus XV. Consul fuit; superstites item sunt anni pleni 26. Hinc & Cedrenus ait; Iudæos post Christi in cœlos receptionẽ annis 40. pacem habuisse. Nam anno Christi 26. exacto, adde 40. & prodibit an. 66. quo peracto, cępit bellum Iudaicum.

CAP. CLIV.

Alij, nec quidem pauci Chronologorũ, Auctorumq; Veterum è Christianis, & cum primis Græci, die 25. Mart. seu 8. Cal. April. Christum à morte resurrexisse; &, quod sequitur, die 23. Martij esse passum, tradunt; anno videlicet Christi vulgari 31. seu anno nati Christi iuxta morem Constantinopolitanum 33. quo anno litera Dominicalis G. diem 25. Martij, in diem Dominicam conijcit.

Qui omnes, vulgares Coss. Fastos secuti videntur; namq; hoc pacto annus hic Christi vulgaris 31. (seu vt pleriq; Christiani Veteres numerarũt, nati Christi 33.) incidit biennio post Geminos Coss. anno scilicet Tiberij 17. post Augu-

Augusti mortem. Hinc Cassiodorus ad illum annum, seu Consulatum Tiberij quintum hoc annotat: *His Coss. D.N.* IESVS CHRISTVS *passus est.* Quod autē huius fuerit sententiæ Cassiodorus, ex eiusdē Paschali cōputo satis probatur. In hoc enim annus Christi vulgaris 562. seu annus 532. Cōputi Paschalis, statuitur vltimus. Ideoq; inchoante anno Christi 31. putauit Christum esse passum.

Georgius quoq; Pisida, magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus & Chartophylax; qui ab origine mūdi, ad sua vsq; tēpora in annum Christi vulgarē 330. Chronologiam suā deduxit; Christū passum refert hoc anno Christi vulgari 31. Indictione 4. die 23. Martij; seu die 76. à sexta Ianuarij, quæ dies est baptismi Christi; adeò, vt cyclū etiam exhibeat 532. annorū, ex die 21. Mart. currēte hoc anno vulgari Christi 31. consurgentē. Numerat tamen annū Imperij Tiberij decimum nonū, biennio videlicet ante mortē Augusti, ipsius Tiberij imperiū proconsulare ordiens. Idē sentit Nicetas; qui annum isthunc 31. Christi vulgarē, vocat annū nati Christi 33. & annū Mundi iuxta comunem Constātinopolitanum morem 5539. Consentiunt Nicephorus Gregoras, & Iulius Pollux, quem Græcè MS. habemus in Bibliotheca Bauarica.

Vel certè ijdem illi Chronologi, tempora illa iuxta annos Imperij Imperatorū vulgares supputāt; & tunc hic ipse annus in eosdē Geminos Coss. incidit. Hinc Lactant. lib. 4. Instit. c. 10. *Anno*, inquit, *Imperij Tiberij Cæsaris quinto decimo, id est, duobus Geminis Coss. ante diem 10. Cal. Aprilium, Iudæi Christum cruci affixerunt.* Tametsi Onuphr. Panuin. pro 10. legit hoc loco, 7. Idem sentit, sibiq; consentit Lact. idem lib. eodem. c. 14. vbi rursus asseuerat, anno quinto decimo Tiberij Cæsaris Christum esse crucifixum.

Atq; hoc anno vulgari Christi 31. die 23. Martij, Christū esse passum, è recentioribus, præter Iacobum Capellū, defendit P. Io. Dekerius Soc. IESV sacerdos, & Ioan. Keplerus

rus S. Cæs. Maiest. Mathematicus; allegantque Synodum Cæsareensem Palæstinæ anno Christi 199. circiter celebratam: in cuius tamen Epistola Synodali non 10. sed 11. Cal. April. passus fertur.

Cui quidem opinioni hoc cum primis obstat: quia, hoc anno 31. die 23. Mart. nondum fuit 14. Luna; ne quidem à puncto medij Nouilunij deinceps; nedum ex eo tépore, quo noua Luna apparere cœperat. Ob hanc, opinor, obiectionem, temporibus Honorij I. Papæ creditum est, hoc quidem ipso anno vulgari Christi 31. Christum passum resurrexisse; non autem die 8. Cal. April. septem verò diebus tardius; die videlicet 1. April. vt inferius ostendemus.

CAP. CLV.

Alij, sed præter, imò contra omnes omnium Veterum traditiones scribunt, Christum esse passum currente anno Christi vulgari, 33. die 3. April. feria VI. Ex horum numero sunt Rogerus Bachon, Ioannes de Muris, Ioannes Lucidus, Paulus Crusius, Benedictus Pererius Societ. IESV lib. 11. c. 7. in Danielem: Henricus Bontingus; quẽ, vt solet, tacito nomine, sequitur Iosephus Scaliger, Hi quidẽ omnes allegaut Chronicõ Eusebij, & S. Hierony: in quo ex Phlegonte Chronographo passio Christi adscribitur anno 4. Olympi 202. Verùm in hoc Chronico anticipatur Epocha Olympiadum integro plus minus biennio. Nam ἐν πλάτει 1. annus, 1. Olympiadis adscribitur anno ante Vulgarem Epocham Christi 777. Et, quod sequitur, annus 4. Olymp. 202. foret annus Vulgaris Christi 31. seu nati Christi, iuxta morem Constantinopolitanum 33.

Cæterùm, ante alios Autores omnes, antiquissimus Epiphanius Constantiæ Cypri Episcopus, in Panario suo contra hæreses, die 6. Ianuarij, anno vulgari Christi primo, ponit natalem Christi: & hoc anno vulgari Christi 33.

.quem

quem ipse annum nati Christi 33. vocat, die 13. Calend. April. hoc est, die 20. Martij, feria sexta Christi collocaat passionem.

CAP. CLVI.

Victorinus Lemouicens. Aquitanus, teste Beda de ratione Temp. c. 6. præfigens annis Christi vulgaribus annos 11. credidit anno Christi Vulgari 23. literâ Dominicali C. Christum passum 7. Cal. Aprilis.

Marianus Scotus, & ipse præfigit annis Christi vulgaribus, annos 22. & infert, Christum passum anno Christi vulgari 21. 8. Cal. April. Illi autem, qui circa Eusebij tempora Comentarios contra Saluatorem nostrum condiderunt, passionem eius adscripserunt quarto consulatui Tiberij Imp. annoq; eius Imperij 7. Euseb. Ecclesiast. hist. l.1.c.9. Et lib.9.c4.

At Gerlandus Lotheringus, annis Christi Vulgaribus subtrahit annos 8. Hinc opinatur, Christum passum anno Christi Vulgari 42. 10. Cal. April. litera Dominicali G. Eiusdem opinionis videntur fuisse Maximus Monachus, & Antiocheni illi, qui annos ἐνσαρκώσεως Christi inchoant annis 8. post Epocham Christi vulgarem Elapsis. Refert enim Maximus, Anno Mundi 5534. (hoc est, anno vulgari Christi 42.) passum esse Christum. Sed tamen paulò post, anno ἐνσαρκώσεως Christi 633. (Vulgari 641.) numerat annum à passione Christi 601: sicque Christus anno Vulgari Christi 41. vel certè 40. passus fuisset.

Nicephorus Archiepiscopus Constantinopolitanus Chronologiam suam deduxit ad obitum vsque Theodoræ Augustæ, seu annum Christi vulgarem 857. Indict. 5. quo anno numerauit annum mundi 6350. Christi verò nati 850. annoque Christi natalis 33. 8. Calend. Aprilis passionem eius signat: sicque annis Christi vulgaribus annos 7. subtrahit; & anno CHRISTI vulgari 40.

8. Calend. Aprilis, feria Passionem CHRISTI notat.

Paulus de Mittelburgo Episcopus Forosemproniens. anno vulgari Christi 36. (verùm vti ipse opinatur 34.) die 30. Martij, CHRISTVM passum asseuerat. Beda de ratione Temp. cap. 45 putat Christum resurrexisse, 6. Calend. April. die Dominica, Anno, qui sit anno Dionysij homologus, scilicet 566. annoque vulgari Christi 35, qui est homologus anno nati Christi Dionysio 566. vulgari 567. Litera Dominicali D. quæ ostendit feriam primam 6. Calendas Aprilis. Sed subiungit Beda, decimam quartam Lunam tum fuisse 9. Calend. Aprilis feria 5. cum Dionysio tum statuatur 5. Idus Aprilis, feria septima: sed in Canone Paschali Hippolyti, anno vulgari Christi 35. decima quarta Luna Paschalis statuitur die 15. Calendas Aprilis, feria sexta. Quare, sine dubio Christum tum esse passum putarunt illi, qui, vt Epiphanius in hæresi 50. recenset, rescriptum Pilati confecerunt, vel potius confinxerunt, & 15. Cal. April. passum esse Christum tradiderunt.

CAP. CLVII.

Denique, plurimi sunt, qui iuxta Ecclesiæ nostræ Romanæ traditionem, teste item Beda de Temp. anno vulgari Christi 34. Christum passum esse asseuerant; sed multis nominibus interim à vero auij. quos inter, classem ducit Dionysius Abbas cognomento Exiguus, temporibus Iustiniani. Is verò in cyclo suo Paschali decimam quartam Lunam eo anno signat, die 12. Cal. April. seu 21. Mart. feria prima. Eodemque vulgari anno Christi 34. Christus passus fertur à Scaligero 23. April. feria sexta: quod tamen plenilunium æquinoctio verno non est proximum. Eodem etiam anno fertur passus ab Onuphrio Panuinio, Ioanne Paduano, Alex. Canobio Veronensi, & quidem die 26. Martij, seu 7.

Cal.

Cal. April. feria sexta. Sed (vt Panuinius Lactantium legit) *die 23. Mart. fuit 14. Et die 24. Mart. fuit 15. Luna à medio puncto Nouilunij* Perperam etiam existimat Panuinius annum 4. Olympiadis 202. tum fuisse, qui tamen in æstate anni præcedentis iam exactus fuerat: perperam item annum Christi vulgarem 34. quatuor annis post Geminos Coss. sicque quadrienniot ardius signat.

Gerardus Mercator hoc quoque anno Christi 34. vulgari, litera Dominicali D. putat Christum passum; sed, falsis inductionibus sibi persuadet plenilunium incidisse in 2. April. diem; ideoque ea die, feria 6. Christum passum scribit.

Tandem Cæsar Baronius Card. qui Annales Ecclesiasticos nobis reliquit omni laude dignissimos, putat quidē Christum anno Christi vulgari 34. passum; sed illum annū falsò signat tribus annis post Geminos Coss. sicq; triennio iusto tardius. perperam etiam opinatur passionem Christi poni anno 3. Olympiad. 202. Labitur etiam in eo, quia annum 4. Olymp. 202. qui in æstate anni 33. desierat, in æstatem anni 35. extendit. Deniq;, cùm de die Passionis quæreret, concludit, viros harum facultatum cōsultissimos, desperata re, cùm quid certi afferent, non reperirent, velut inchoatam, imperfectamque telam reliquisse posteris.

CAP. CLVIII.

Sed ne hactenus aliorum sententiam attulisse, nostram autem suppressisse videamur, de re tota sic statuo. Sentio enim Dn. N. IESVM Christum anno Christi vulgari 34. exacto videlicet anno ἐνσαρκώσεως suæ 33. & inchoato 34. anno suæ Natiuitatis, Geminis Romæ Coss. anno Imperij Tiberij ab Augusti obitu 15. sed à quo Tiberius imperium in Prouincias adeptus fuerat, 17. 8. Cal. April. seu 25. Martij, feria Iudæis sexta, Luna Iudæis decima quarta passum esse, reque ipsa terminum Paschalem fuisse. Id,

M 2 pri-

priusquam rationibus deducamus, παράδοξον fortè videatur, sed sententiam nostram, firmemus oportet.

CAP. CLIX.

In primis plerique ad inuestigandum Passionis Christi tempus, hactenus Lunares cyclos assumpserunt: qui quidem tum temporis, nec dum fuêre in rerum natura. At nos ipsam motuum cœlestium Astronomicam rationem sumimus, ac cyclum Calippi 76. annorum, ex meridie diei 28. Iulij, currente anno ante Christum 330. consurgentem; cùm medius Lunæ locus à medio Solis loco esset $4^{\circ}.\ 21'.\ 14''$. Is.n.cyclus tum, & illis in locis erat in vsu.

CAP. CLX.

Id ipsum testatur Rabbi Adda, dum definit annum dierum 365. horarum 5. $\frac{997}{1080}$ $\frac{48}{76}$. Nam eo ipso innuit, se hanc Calippi 76. annorum sequi periodum.

CAP. CLXI.

Ita tamen distinguendus est cyclus Decennouennalis Calippicus, vt, iuxta præceptum Gemini, qui & ipse ante tempora Christi floruit, centies & decies in eo dies quælibet sexagesima tertia eximatur; sicque exempli g. tertia dies mensis tertij Boëdromionis, tanquam exempta, censetur confusa in secundam: diciturque secunda iuxta Plutarchum περὶ φιλαδελφίας, & συμποσιακῶν 9. 6. Tametsi re verâ dies tertia demum illius mensis sit exemptilis. Sic & Moschopulus in dies atque opera Hesiodi Scholiastes, ait; οἱ ἀθηναῖοι τὴν περὶ τριακάδα ὑπεξαιροῦντες, ἐνάτην καὶ εἰκοστὴν τὴν τριακάδα καλοῦσιν. *Athenienses 29. diem eximentes, ipsam trigesimam, vocant vicesimam nonam.*

CAP. CLXII.

Iuxta quem Calippicum cyclum, ita quidem constitutum, & ex die 29. Iulij currente anno ante Christum 330. (qui dies Macedonibus est primus mensis, qui vocatur Λῷος: Atheniensibus primus mensis primi, ἑκατομβαιῶνος, Hebræis primus mensis Ab,) consurgentem; Hac etenim ratio-

ratione anno ante Christum 295. currente, (anno videlicet illius cycli 36.) in meridie diei, 21. Decemb. seu 17. Phaothi, desinit dies 25. mensis sexti, qui Atheniensibus vocatur Posideon, id quod disertis verbis tradit Ptolemæus in contextu Græco magnæ syntax. lib. 7. c. 3. Quare perperam Henricus Bontingus ibi Anthesterionem pro Posideone legendum & reponendum censet.

CAP. CLXIII.

Eodemque anno cycli 36. annoq; ante Christum 294. currente, in meridie diei 10. Mart. seu 6. Tybi, desinit dies 15. mensis noni Elaphebolionis, vt idem Plutarchus ibidem retulit.

CAP. CLXIV.

Eadem ratione, dies 9. Nouembris, seu 8. Thoth, currente anno ante Christum 282. cadit in diem 24. mensis quarti πυανεψιῶνος, hoc est, vt Ptolemæus ibidem loquitur, ἕκτη φθίνοντος πυανεψιῶνος: quippe 30. Pyanepsionis vocatur ἕνη καὶ νέα. Et 29. dies Pyanepsionis πρώτη φθίνοντος. Sic & Vlpianus Rhetor in Orat. Demosthenis περὶ στεφάνου, seu pro Ctesiphonte, hæc verba; μηνὸς ἐλαφηβολιῶνος ἕκτη φθίνοντος, exponit, σεπτεμβρίου εἴκοσι τετάρτη; septembris 24. Perperam igitur etiam hoc loco pro πυανεψιῶνος Henricus Bontingus legendum censet μαιμακτηριῶνος.

CAP. CLXV.

Ita dies 18. Nouembris, seu 27. Thoth, currente anno ante Christum 245. cadit in diem quintam mensis quinti, qui Macedonibus (siquidem primus statuatur Λῷος) vocatur ἀπελλαῖος; vti tradit Ptolem. lib. 9. c. 7. Perperam igitur pro quinta, sextam ibi legendam & emendandam vult Iosephus Scaliger. Fuit autẽ medius locus Lunę à medio Solis in meridie illius diei 18. Nou. ♌. 8. 5. 6. &, quod sequitur, vltra quintum diem à puncto medio Nouilunij.

CAP. CLXVI.

Præterea dies 29. Octob. seu 9. Thoth, currente anno

ante Christum 237. ritè cadit in diem 14. mensis quarti, à Loo videlicet, qui dicitur δῷος; vti habetur disertè apud Ptolem. lib. 9. c. 7.

CAP. CLXVII.

Sic dies prima Martij, seu 14. Tybi, currente anno ante Christum 229. incidit exactè in quintam diem mēsis à Loo noni, qui vocatur Xanthicus; quod item tradit Ptolemæus lib. 11. c. 7. Quare, Iosephus Scaliger etiam hîc pro quinta, septimam diem substituendam & legendam opinatur perperam.

CAP. CLXVIII.

Nec tamen obstat, turbatq; vnicus ille Ptolemæi locus, vbi lib. 7. c. 3. tradit, diem 29. Athir, anno à Nabonassaro 465. (hoc est 29. Ianuarij) currente anno ante Christum 283. incidere in octauā diem Anthesterionis, qui est mensis octauus: cùm tū iuxta Cyclum Calippi, cadat in diē octauam mensis septimi Gamelionis. Vel. n. vti & Bontingus censet, Gamelion pro Anthesterione substituēdus: vel potius differentia, ex diuersa ratione interpositionis mensis Embolimæi, qui similiter est 30. dierum, est exorta: Vel deniq; Timochari atq; Ptolemæo Anthesterion præcedit Gamelionem.

CAP. CLXIX.

Quare, si iuxta eundem Cyclum Calippicum tot aliòquin exemplis comprobatum, quæramus decimam quartam diem mensis Nisan, seu Xanthici currente anno Christi vulgari 34. reperiemus illam incidere in diem 25. Martij, seu 8. Cal. April. qui quidem calculus hanc nostram sententiam Chronologicam satis probat.

CAP. CLXX.

Neq; verò id aliquem moueat, dubiumque reddat, id, quod obijci queat; in meridie videlicet 24. Mart. currente hoc anno Christi 34. hoc est, in principio diei 25. Martij, iuxta Calippum & Astronomos; medium locū Lunæ à Sole fuisse 3. 10. 47. 29. & hinc integris diebus quindecim & paulò

paulò amplius à puncto medij deinceps Nouilunij. Hoc enim argumentum tantum abest vt obstet, vt opinionem hanc nostram reddat firmiorem. Ipsa .n. Calippici circuli ratio, vtputa, iusto maioris, id exigit, natura illius ipsâ ita dictante. Ponit .n. Calippus in *76.* annis Iulianis $365.\frac{1}{4}$. videlicet dierum, Lunationes integras 940. Quare, si dicas; 940. seu $1^{`}5.40^{\circ}$. dant dies 27759. quid dat vna lunatio reperiesque $29^{\circ}.31'.51''.3'''.49''''.47^{v}$. Superat itaq; Calippica Lunatio Prutenicam quantitate $55'''.53''''$. Ergò, $1^{`}5.40''$. seu *76.* anni Iuliani, ætates Lunæ tardius iusto signant quantitate $14'.35''.30'''.20''''$. hoc est, ferè quarta parte diei: &, quod sequitur, hoc anno Christi 34. iuxta Calippum, ætas Lunæ integrâ amplius die tardius iusto indicatur & notatur.

CAP. CLXXI.

Quin imò pleriq; Auctorum Veterum, ætatẽ Lunæ, non ab ipso Nouilunij pũcto, sed ab eo potius tẽpore, quo nouæ Lunæ cõparuêre cornua, deinceps numerare cęperũt: id quod de Iudæis testatur Autor περιόδων D. Petri, apud Clementẽ Stromatéon li.6.pag.270.ad Marg.268. Μηδὲ κατὰ Ἰουδαίους σέβεσθε. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι μόνοι οἰόμενοι τὸν θεὸν γινώσκειν, οὐκ ἐπίστανται, λατρεύοντες ἀγγέλοις, καὶ ἀρχαγγέλοις, μηνὶ καὶ σελήνη, καὶ ἐὰν μὴ σελήνη φανῇ, σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον. οὐδὲ νεομηνίαν ἄγουσιν, οὔτε ἄζυμα, οὔτε ἑορτὴν, οὔτε μεγάλην ἡμέραν. quem locũ Gentianus Heruetus pag. 634 ita reddidit; *Neq; colite, vt Iudæi: etenim illi Soli se Deum nosse putãtes, nesciunt se adorare Angelos, & Archangelos, Mensem & Lunã: & nisi Luna apparuerit, non agunt Sabbatum, quod dicitur primum, neq; agunt neomeniam, neq; azyma, neq; festũ, neq; magnum diem.* Hinc etiam iuxta recentiorum cyclos Paschales, post decimam quintam à puncto medio Nouilunij numeratam Lunam, Pascha non rarò legitimè celebratur. Sed & ex ipso S. Ioannis Euangelio, cap. 18. v.3. *Venit illuc cum laternis, & facibus*; colligi potest, tẽpore Christi Passionis Lunam vltra plenilunij punctum esse progressam. Nec .n. constat, tum nubibus cœlum fuisse obtene-

bra-

bratũ. quin verò Lunæ lux in plenilunio ipsas etiam nubes solet penetrare, & totâ lucet nocte. Atqui anno Christi vulgari 34. currẽte, die 25. Martij, nocte irruente, h.e. post Epochã Christi annis Ægyptijs 33. diebus, i. 3'1. 4''5. medius Lunæ locus à Sole fuit in Borussia. 3. 3°6. 1. 4''7. 3'''4. &, quod consequitur, post Solis occasum Luna horis demum præter propter duabus splendere cœpit: ideoque Iudæorum satellites & ministri laternis & facibus tum indigebant.

CAP. CLXXII.

Hebræos olim, & quidẽ ab ipsa Mundi origine, diẽ à diei cuiusuis pręcedẽtis meridie, Atheniensiũ ac Vmbrorũ, omniũq; ferme Astronomorũ more, inchoasse, vel hinc animaduerti potest; quippe Moyses ipso τῆς κοσμοποιΐας principio, integrum noctis dieiq; spatium definiens, hęc habet; וַיְהִי־עֶרֶב וַיְהִי־בֹקֶר יוֹם אֶחָד; hoc est, vti LXX. Interpretes sensu eodẽ reddiderunt. καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωΐ, ἡμέρα μία. *Et factũ est vespere, & factum est mane, dies vnus.* simili ratione cęteros septimanæ primæ dies, eâdẽ circũlocutione Moyses definit. Etenim hiscẽ verbis; *& factum est vespere*, non vespertinũ tẽpus, sed totum à meridie vsq; ad mediam noctẽ interuallũ temporis, dum Sol à summo ad imum cœli descẽdit, intelligit & designat; atq; à potiore & intermedia illius tẽporis parte ac portione denominat: quin & reliquis verbis; *& factũ est mane*, alterũ τοῦ νυχθημέρου mediũ, à media nimirũ nocte in meridiem vsq;, dum Sol ab imo cœli summum vsq; rursus ascẽdit, pariter designat. Constat itaq; Moysen, & Hebręos Veteres diem non ab hora sexta demũ post meridiẽ expleta, sextaq; æquinoctiali, vti vult, opinaturq; vulgus, sed ab ipso diei pręcedẽtis inchoasse meridie. Atq; hinc habetur Leuitici c. 23. v. 27. *Decima die mensis septimi, dies expiationis est celeberrimus; affligetisq; animas vestras in eo.* Nibil ominus tñ eodem c. v. 32. subiungitur; *Nona* (die) *mensis*, (septimi,) בָּעֶרֶב *Vespere*, seu ad Vesperam, *affligetis animas vestras*

ſtras, à Veſpera ad Veſperam celebrabitis ſabbata veſtra. Quippe, Nona dies menſis ſeptimi in ipſa meridie deſinit, inchoante iam Veſpera quę ſubſeqnentem diem decimum incipit: atque hinc ſabbatum hoc diei decimæ menſis ſeptimi, celebratur ab initio Veſperæ, quæ nonam diem finierat, vſque ad initium Veſperæ, quæ decimum diem terminat.

Quod autem Veſperæ appellatione Iudæis olim ἐν πλάτει acceptum ſit totum illud tempus intermedium, quod inter meridiem & mediam noctem interiacet, id ex Euangeliſtarum oraculis eſt planiſſimum. D. Matth. 28. v. 1. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati, venit Maria Magdalena, videre ſepulcrum.* Etenim illud eueniſſe poſt mediam circiter noctem, ex reliquis Euangeliſtis comprobatur. D. Lucas 24. v. 1. *Vna autem Sabbati valdè diluculò venerunt ad ſepulcrum.* D. Marcus 16. v. 2. *Et valdè manè vna Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam ſole.* Et D. Ioann. 20. v. 1. *Vna autem Sabbati Maria Magdalene venit mane, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum.* quod tamen tempus S. Matthæus Veſperæ adſcribit.

Id ipſum ratio Matheſeos ſuadet & perſuadet: cùm dies ab occaſu Solis inchoati ſibi inuicem ſuccedentes, ſint omninò inæquales: & à ſexta forte hora æquinoctiali poſt meridiem olim dies inchoari non potuerit; cùm dies ipſe in 12. horas, inque horas totidem nox fuerit diuiſa.

Idem exinde probari poſſe videtur; quia Iudæi poſteriores diem, vt plurimum, in qnatuor duntaxat interualla, ſolerent diuidere; in horam, videlicet tertiam, ſextam, nonam, & duodecimam; ita vt horæ fortaſſis ſextæ nomine, ἐν πλάτει, totum illud comprehenderetur ſpatium, quod ab hora tertia, ad ſextam vſq; excurrit. Fauet huic ſententiæ S. Marcus 15. v. 25. ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum:* Vbi mox v. 32. ſubditur. *Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiaban-*

tiabantur ei. *Et facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt per totam terram vſque in horam nonam. Et hora nona exclamauit IESVS, & emiſſa voce magna expirauit.* Syri. v. 25. *Erat autem hora tertia, cùm cruci affixerunt eum.* Atqui S. Ioannes habet 19. v. 14 ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα. ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη, καὶ λέγει τοῖς Ἰουδαίοις. ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν. *Erat autem Paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta, & Pilatus dicit Iudæis: Ecce Rex veſter.* Ver. 16. *Tunc ergò tradidit eis illum, vt crucifigeretur.* Syri quoq; v. 14. *Erat autem hora circiter ſexta.* Nec dici poteſt hoc, vti ſaltem apparet, ἐναντιοφανὲς diſſolui per voculam ὡσεὶ, circiter. Nec .n. hora diei tertia & ſexta, (ſi quidem ad duodecim diei horas reſpiciamus) in idem tempus incurrere, atq; incidere poſſunt circiter. Præterea, tametſi S. Marcus ab hora ſexta ad nonam vſq; tenebras factas deſignet; Et S. Matt. 27. v. 45. dicat; *A ſexta autē hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſq; ad horam nonam:* attamen Luc. 23. v. 44. additur vox ὡσεὶ. ἦν δὲ ὡσεὶ ὥρα ἕκτη. *Erat autem ferè* (Syris *circiter*) *hora ſexta; & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram vſq; in horam nonam.*

Atque, etſi S. Marcus ſcribat hora nona exclamaſſe IESVM; tamen S. Matth. 27 v. 46. aſſerit; περὶ δὲ τὴν ἐννάτην ὥραν; *Circa horam nonam clamauit IESVS voce magna.* Poſt cōpletam itaq; horam diei ſextam, Iudęi tum temporis inſtare dicebant horam nonā, ſeu Veſperam, cùm poſt ſextā non ſeptimam, atq; octauā, ſed non niſi nonā continuò numerarēt: quo pacto, poſt meridiē à Veſpera, ſubſequentem rectā diē inchoabant, nequaquā verò ſex demum horis æquinoctialibus poſt meridiē expletis, vti alioquin hactenus vulgò exiſtimatū. Quod verò Iudæi tum tēporis ab hora diei nona, & dies & Sabbata inchoarint, diſertè teſtatur Reſcriptum Auguſti, quod Ioſephus exhibet Archæologiæ l. 16. c. 10. Καίσαρ Σεβαστὸς, Ἀρχιερεὺς δημαρχικῆς ἐξουσίας λέγει. Ἔδοξέ μοι τοὺς Ἰουδαίους χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις θεσμοῖς, κατὰ τὸν

πα-

πατρῷον αὐτῶν νόμον, ἐγγύας τε μὴ ὁμολογεῖν αὐτοὺς ἐν σάββασιν, ἢ τῇ πρὸ ταύτης παρασκευῇ ἀπὸ ὥρας ἐνάτης. Cæsar Augustus Pontifex Maximus, tribunitiæ potestatis, edicit: Placet mihi, Iudæos vti proprijs ritibus, ac paternis legibus, neq; cogi ad præstanda vadimonia Sabbatis aut pridie Sabbatorum post horam nonam in parasceue. Proinde initium Vesperæ Iudæorum, illius temporis, quod & vnà initium erat diei sequentis, non capiebat primordium horis demum sex, & quidē æquinoctialibus, seu artificialibus post meridiem cōpletis, vti passim hactenus, licet perperā creditum opinatumq;, sed ab hora, quā vocabant, nonam, quę ipsis *ἐν πλάτει* tum erat post meridiē proximè subsequens; sicq; in effectu & recessu à meridiè inchoabant sua Sabbata.

Neq; verò hîc sermo est de Iudæorū vulgò, & fęce plebeculæ, quæ in hisce, ac similibus rebus exactè rem discernere minimè solet; sed Sacerdotes illius temporis innuimus, qui Sabbatorum tempora ritè, atq; exactè vti computarunt, ita & discreuerunt.

Sed quid moror? ipse Iudæorum calculus Astronomicus, etiamnum ab ijsdem obseruatus, in ætate Lunæ inquirenda nequaquam respicit horā à meridie sextam æquinoctialē, sed ipsum exactè meridiē; adeò quidē, vt si punctum Nouilunij, exempli causa, mensis Tisri, quod ipsis annum nouum inchoat, assequatur Meridiem, initium anni tum transferant in diem sequentē; & si fortè dies subsequens feria sit prima, quarta, vel sexta, adeoq; ad initiū anni inhabilis, tunc potius integro biduo primā Tisri Lunam, atq; diē postponant, quàm vt in eam collocent diem, quæ ipso meridiei puncto iam cōpleto fuerit exacta. Vixq; aliud est in tota Iudaici anni ratione, quod maiores tricas pariat, quàm hæc regula ipsis à Patribus tradita, & adeò præfractè seruata. Sed & Iosephus Scaliger de Emendat. Temp. edit. secundæ. p. 125. asserit; Omnes nationes Orientales, Indos, Sinas, Chataios, Veteres Assyrios, Syros,

Chaldæos, Arabas, Damaſcenos, calculum Lunæ à meridie inſtituere, ita vt quando epilogiſmus attigerit meridiem, tunc prima Luna in diem ſequentem ſtatuatur.

CAP. CLXXIII.

Nec verò Iudæi tantùm, atque Orientales populi Barbari; verùm etiã Romani, & nationes aliæ olim diem à meridie videntur duxiſſe. Certè meridies ipſe id nomen ſuum inde eſt ſortitus: tum enim mera ſeu perfecta, completaque eſt dies. Vnde illud, vt rectè ita argutè Plinius: lib.36.c.9. *Confecto*, inquit, *die*, *horâ ſextâ*, *Romæ*, *obeliſco par vmbra fit.* Hiſce quidem paucis, ac diuerſis teſtatur Plinius; horâ diei ſexta, adeoque ipſo meridiei puncto, re vera confectum eſſe diem & perfectum. Atque hæc ipſiſſima eſt ratio, cur moris apud Romanos fuerit, ex rebus præſertim ſacris, maiorisq; momenti, publicisque, has duas literas, A. D. & quidem maiuſculas deſignare. Quæ quidem duo grammata ſignant, *ante diem*; imò potius denotant totum illud tempus, quòd poſt meridiem deinceps vſque in meridiem proximè ſubſequentem, (vt puta, quæ meram, plenamque efficiat diem) excurrit: tametſi poſteris temporibus vulgò id minus exactè obſeruatum, & ſeruatum fuit. Vnde illud Plutarchi in quæſtione illa, quam inter Romanas pertractat; Cur Romani, tum (Plutarchi ſcilicet æuo) à media nocte diei ſumant initium. *ἡ μεσημβρία*, inquit, *πέλος ἐστὶ τοῖς πολλοῖς τῶν τὰ δημόσια, καὶ σπουδαῖα πράττειν. τεκμήριον δὲ τοῦτο μέγα, τὸ μὴ ποιεῖσθαι Ῥωμαίων ἄρχοντα συνθήκας, μηδὲ ὁμολογίας μετὰ μέσον ἡμέρας. Meridies, finis eſt plerunq; publicas, & ſerias res agendi. cuius rei euidens eſt argumentum; quia nullus Romanus Magiſtratus poſt meridiem fœdus icit, vel pactum init.* Ex his patet, tametſi poſterioribus Romanis Ethnicis, quantum ad ius ciuile priuatum, dies initium cœperit à media nocte præcedente; ijſdem tamen Romanis, quà de Iure ſacro, publicoq;, à meridie, hoc eſt fine, ac perfectione diei præcedentis ortum ſuum traxiſſe.

CAP. CLXXIV.

Si quidem damus, Iudæos, Veteres saltem illos, qui Christi tempore Hierosolymis rerum diuinarum potiebātur, diem à meridie, diei nimirum præcedentis, vel certè ante horam diei illius nonam inchoasse; Christumq; feriâ Iudæis illis sextâ currente, passum esse; necessariò sequitur, Christum in cruce mortem oppetijsse iuxta illius diei rationē, quæ à media demum nocte diem inchoat, currente adhuc feria quinta, & feriâ sextâ nec dū cœptâ, sed à media nocte proximè subsequente, inchoandâ. Sacræ namque literæ mortem Christi disertè adscribunt horæ diei nonæ. Matth. 27. v. 45. *A sextâ autem horâ tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsq; ad horam nonam; & circa horam nonam clamauit IESVS voce magna.* Et v. 50. *IESVS autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* Et Marci 15. v. 33. *Et factâ horâ sextâ tenebræ factæ sunt per totam terram vsq; in horam nonam, ex horâ nonâ exclamauit IESVS voce magnâ.* Et v. 37. *IESVS autem emissa voce magna expirauit.* Et Lucæ 23. v. 44. *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsque in horam nonam.* Et v. 46. *Et clamans voce magna IESVS expirauit.*

Itaque si hæc hora diei circiter nona illis, qui diem à meridie, vel circiter inchoant, incidat in sextam feriam; eadem item illa hora diei nona illis, qui feriam sextam demum à media nocte subsequente inchoant, incidit in feriā adhuc quintam nec dum exactam. Sic enim diceremus, (iuxta hanc scilicet rationem, quâ dies à media nocte inchoatur) feriæ sextæ desinenti, hanc horam diei nonam, qua Christus in cruce obijt, incidisse; Quod consequitur, illis, qui à meridie præcedente diem iam inchoarant subsequentē, hoc est, feriam septimam, Christus currēte ipsâ die septima Sabbati, inq; ipso Sabbato in cruce mortē obijsset, quod vtiq; nemo asseruerit, neq; vnquam quisquam asseuerauit.

Proinde, si statuamus, Iudæis, alijsq; diem à meridie inchoantibus, Christum esse passum feriâ sextâ inchoante; at illis, qui diem à mediâ demum nocte subsequente auspicantur, feriâ quintâ desinente; tunc non modò vetustissimæ traditiones Ecclesiæ, ac præcipuorum, antiquissimorūq; Patrum sententiæ, dictaque inter se conciliantur; quæ scilicet passim præ se ferunt, tenentque, Christum, anno ætatis 34. Geminis Consulibus, anno Imperij Tiberij respectiuè decimo quinto, & decimo septimo, octauo Calend. Aprilis esse passum: verùm etiam, validissimum omnium atque palmarium Iudæorum argumentum, quod in nos intorquere solent, radicitùs vellitur, funditùs vertitur. Est verò illud eorum Achilléum, quod ex comparatione Christi & Ionæ Prophetæ, desumunt.

Habetur quippe Ionæ 2. v. 1. *Et erat Ionas in ventre piscis* (seu ceti) *tribus diebus & tribus noctibus.* Disertissimis verò verbis habetur Matth. 12. v. 19. Christum Scribis & Phariseis calumniantibus respondisse; *Generatio mala & adultera signū quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus.* Et in D. Lucæ, 11. v. 19. *Generatio hæc, generatio nequam est; signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Nam sicut fuit Ionas signū Niniuitis, ita erit & filius hominis generationi isti.* Et Marci 8. v. 31. *Et cœpit docere eos Christus, quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus, & à summis Sacerdotibus & Scribis, & occidi, & post tres dies resurgere.* Ioan. 2. v. 19. *Dixerunt Iudæi, quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit IESVS, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergò Iudæi. Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Vnde Matth. 26. v. 61. *Duo falsi testes dixerunt. Hic dixit; possum destruere templum*

DEI, & post triduum reædificare illud. Ibid. seq. 27. v. 31. *Principes Sacerdotum & Pharisæi conuenenerũt ad Pilatum dicentes. quia seductor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam. Iube ergò custodiri sepulchrum vsq; in diem tertium.*

E quibus omnibus sacrorum Euangeliorum locis constat, à tẽpore passionis seu mortis Christi, ad tempus resurrectionis eiusdẽ, requiri tres dies, & tres noctes. Quod quidem temporis spatium etiam Medicorum exigit schola, & sententia pro plena, sufficientique mortis contestatione.

Atque hoc est omnium, quotquot Iudæi in nos iactant, argumentorum difficillimum; adeò, vt & S. Hieronymus* in Ionam, posteaquam huius obiectionis resolutionem illã Vulgarem, per Synecdochen, recensuisset, subiungat; *si quis ista non recipit, & meliori sensu potest huius loci exponere sacramentum, illius magis sequenda est sententia.*

Et sanè Paulus Mittelburgensis Forosemproniensis Episcopus, 27. totis paginis, aptiorem aliquam difficultatis huius solutionem inquirit, nec se modò, sed Lectorem etiam ipsum mirè atq; anxiè torquet & distorquet.

Sin verò admiserimus, iuxta illos, qui diem à media demũ nocte inchoante, Christum quintâ etiamnum durante ac desinẽte feria esse passum, facillima huiusmodi planaq; & aperta erit solutio. Nam ex eâdem feriâ illis quintâ, superest dies cum nocte subsequente; & ex feria ijsdem sextâ, similiter; vti & pari ratione ex feria illis septima; hac ratione tres dies cum tribus noctibus manifestè colligimus; neq; interim cõfugere cogimur ad diuisionẽ vnius atq; alterius tam diei, quàm noctis; in duos dies, & totidem noctes à sese mutuò separatas; quasi dimidiata pars prior diei; & noctis, alia dies, & nox esset alia atq; diuersa, à dimidiata parte posteriore diei ac noctis eiusdem.

Tametsi verò Romanis Ethnicis in iure ciuili priuato ciues singulos attinente, ad vulgi sensum captumque, dies à

media nocte praecedente initium ceperit; nunquam tamẽ Iudæis; sed neq; primis Christianis: quin nec ipsis Romanis Ethnicis, quantum spectat ad Ius publicum, aut sacrum; ita vt consequatur, & inferatur necessariò, etsi hæc sententia, vel maximè admittatur, nihilominus esse verissimum, firmum, fixumque persistere, iuxta rationem diei Iudæorum omnium, & primorum Christianorum, etiam Romanorum, (atque adeo ipsorum etiam Romanorum Ethnicorum, quà de Iure publico, sacroué) Christum feriâ sextâ inchoante in Cruce pro nocente mundo mortem obijsse.

CAP. CLXXVI.

Et verò hæc sententia Synodi Cæsareensis autoritatem obtinet. Eam Synodum iussu Victoris I. Pontif. Max. eiusdem Præses Theophilus Cæsareæ, atq; Palæstinæ Episcopus temporibus Seueri Imperatoris celebrauit circa annum Christi 198. In hac enim Synodo posteaquam ponitur, Christum resurrexisse A D. 8. Cal. April. vti consequitur, asseueratur passum esse eundem A D. 11. Cal. eiusdem; vti Paulus Mittelburgensis fusius isthæc deducit.

Et in Codice Græco Bibliothecæ D. Marci Florentiæ, Honorij primi Pontificis Maximi tempore manu scripto legitur Apostolos tradidisse; *Christum ex Virgine natum Bethlemæ, 25. Decembris horâ diei sextâ; baptizatum anno ætatis 30. die 11. Ianuarij, horâ noctis decimâ. Mansisse in hac vita annos 33. menses tres; affixum esse cruci, die Martij 29. hora diei sexta: resurrexisse è sepulcro die tertia, qua fuerit prima mensis Aprilis, secundum computationem Ægyptiorum, horâ noctis sextâ: sublatum in cælum 3. Maij, hora diei nona. Hæc ibidem.*

Designatur verò in hac Florentini M S. traditione annus Christi vulgaris 31. quo anno decima quarta Luna statuitur vulgò die 24 Martij, & Dominica Paschalis 25. Martij proximè subsequente. Ideoque in hac traditione, post designationem temporis passionis & resurrectionis Christi,

ſti, hæc verba ſubduntur; *ſecundum computationem Ægyptiorum*; quod videlicet decima quarta Luna in 24. Martij inciderit, ideoq́ue Dominica reſurrectionis ab 25. Martij, in proximè ſubſequẽtem Dominicam, primam nimirum Aprilis diem fuerit translata; tametſi feſtum ſublationis, ſeu Aſcenſionis Chriſti in cœlum, ad 3. Maij qui eſt ex 25. Martij quadrageſimus, in ſua ſtatione permanſerit.

Alij namq;, qui tamen hoc ipſo anno vulgari Chriſti 31. paſſionem Chriſti ſignant, quanquam aliòquin nullam Lunæ, quæ ex computatione Ægyptiorum tum temporis deſumebatur, rationem habent, Chriſtum die 25. Martij reſurrexiſſe, ſtatuunt. Vnde illud Iulij Pollucis in hiſtoria ſua naturali Manu ſcripta; *ἀνέστη*, inquit, *ἐκ νεκρῶν μηνὶ μαρτίῳ κε κατὰ Ῥωμαίους, ἡμέρᾳ κυριακῇ, ἰνδικτου δ.* *Reſurrexit è mortuis menſis Martij die 25. iuxta Romanos, die Dominica, Indictione quartâ.* Verùm in eâdem illa traditione obſeruandum, Paſſionem Chriſti integris tribus diebus ante eiuſdem reſurrectionem deſignari: ita vt ijs, qui diem à media nocte inchoant, Chriſtus paſſus fuerit feria quinta etiamnum durante. Cui ſententiæ fauet mos Romanus rituſq́ue, quo feria quinta memoria Chriſti in ſepulcrum depoſiti colitur. Sed & in Miſſali Romano ad feriam quintam maioris hebdomadis hæc habentur verba; *Hodie ſeruat ſacerdos in loco honeſto & conuenienti vnam hoſtiam conſecratam pro die ſequenti, in quo non conficitur; vel etiam plures, ſi neceſſe fuerit, pro infirmis. Finita Miſſa, celebrans, de manu Diaconi accepto calice cum Sacramento procedit medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à ſiniſtris, ſub baldachino, vſq; ad locum præparatum; vbi pro craſtino ſeruandum: & tunc pulſantur campanæ, deinceps verò non amplius. Repoſito Sacramento, dicuntur veſperæ; poſtea Sacerdos cum Miniſtris denudat altaria legendo Antiphonam; Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea.* Hactenus rubrica Miſſalis Romani.

In Seder Olam Rabbà, Hebræorum maiore Chronico, pag. 26 v. 12. legitur: *Decimo quarto die Nisan, siue Martij, immolarunt Israelitæ agnos suos Paschales in Ægypto, qui dies est quintus, id est Iouis.*

CAP. CLXXVII.

Tametsi verò hæc, vt & alia, eiusdem generis argumenta, videantur euincere; Christum iis, qui diem à media nocte inchoant, feria quinta adhuc durante esse passum: non tamẽ id in hac nostra Chronologia vel assertum, vel propugnatum imus; ne dum, vt eãdem super hac assertione, quasi firma aliqua basi fundatam velimus. cæterùm, id duntaxat tradimus; currente hoc anno vulgari Christi 34. quo Christus re verâ passus est, terminum Paschalem, seu decimam quartam Lunam, iuxta Iudæorum calculum, in octauam Calend. Aprilis diem incidisse; siue illa, siue proximè sequente die Pascha celebratum, atq; D. N. IESVS CHRISTVS fuerit passus. Etenim constat, Iudæos circa Christi tempora festa sua plerumq; biduo celebrasse continuo, vti diffusè id Paulus Mittelburgensis declarat: etiam illud certũ est, eosdem Iudęos sæpe sua transposuisse, ac transtulisse festa, scilicet ab vna die in aliam, & quidem proximè sequentem. Quin imò ipsi Hebræi in libro Seder Olam. & alibi etiam passim tradunt; In lege Synedrij cautũ, statutũq; fuisse, ne dies solennis Paschæ die septimanę secũdâ. quartâ. vel sextâ celebretur: adeò, vt etiam si fortè in vnã dierũ istorum incidisset, proferenda fuerit in posterũ. Ita, vt vel ob hanc ipsam causam, hoc anno Christi vulgari, 34. Hebræi videantur decimam quintam diem mensis Nisan, Paschali alioqui solennem, à feria sexta transtulisse in septimam; &, quod sequitur, decima quinta demum Luna, agnum Paschalem manducasse, cùm Christus iuxta Veteris Testamenti præceptũ Luna decima quarta eundẽ cum discipulis suis ederit. Vnde Carolus Sigonius de Rep. Hebr.

l.3.c.9. *Iudæi,* ait, *si dies decima quinta mensis Nisan incurrebat in diem proximum, qui erat Sabbatum. Quemadmodum factum aiunt eo anno, quo Christus est passus.*

CHRISTVS autem, vt multi opinantur Interpretes à lege veteri nolens recedere, celebrauit illud feria quinta Vespere: At Iudęi traditionẽ Patrum secuti, feria sexta Vesperi, vnde Sabbati Paschalis solennitas initium erat ductura. Neq; .n. aliter congruere posse S. Ioannẽ, cum Euangelistis cæteris, opinantur cõplures Interpretes. qui tradunt, Pascha celebratũ esse à Christo feria quinta ad Vesperã: at ille ipsum in Parasceue Paschæ passum retulit. Accedit, quod in ipsa Parasceue Iudæi dixerunt; se nolle Prætorium ingredi, ne contaminarentur, atq; edere Pascha possent, id quod ea die Vespere erant facturi, qui ad solennitatem sequentis pertinebat Sabbati.

Nobis verò hîc quidem sufficit, terminum Paschalẽ, seu decimam quartã Lunam, hoc ipso anno Christi vulgari, 34. quo anno diximus Christum pro nobis mortẽ obijsse, incidisse in octauũ Cal. April. ita vt Ecclesiastica vetus traditio, vetustissimiq; quiq; Patres ita sentiant; siue reuera hac ipsa die, seu certè sequente Hierosolymis Pascha fuerit celebratum, Christusq; in cruce mortem oppetierit. Fuit sanè decima quinta dies Nisan Iudæis, dies Paschæ sancta & solennis, vti cùm primis patet Exodi 12.

CAP. CLXXVIII.

Profectò mirificus est sensus & consensus vetustissimorũ iuxta & sanctiss. Patrum; constanter tenentium Christum octaua die Cal. Apr. esse passum, & quidem Anno Imperij Tiberij Cæs. 15. Geminis Consulibus. Tertullianus in libro contra Iudæos disertè tradit; Christum passum esse sub Tiberio Cæsare, Rubellio Gemino, & Rufo Gemino Consulibus, mense Martio, tẽpore Paschę, die octaua Cal. April. die prima Azymorũ. Idem Tert. contra Marcionẽ l.1. c.15. *Reuelat⁹,* inqt, *est Christus anno duodecimo Tiberij,* (quo videlicet

anno baptizatum credidit.) L. Cæl. Lact. Firmianus diuinar. Institut. l. 4. c. 10. *Sub Herode*, ait, *Iudaeorum tetrarcha, anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris*, id est, duobus Geminis Coss. Iudæi Christum cruci affixerunt. Addit tamen, ex sua sententia, ante diem VIII. Cal. April. id factum. Idem Auctor eiusdem lib. c. 14. *Zacharias*, ait, *adoleuit Darij & Alexandri ætate, annis 500. ante annum decimum quintum Imperij Tiberij Cæsaris, quo Christus crucifixus est.* Et Iunilius Episcopus Africanus, Plenilunium illius Paschæ, quo passus est Christus, feriæ quintæ adscribit, vbi hæc in Genesin scribit; *Luna*, inquit, *plenissima dies, in tempore Dominicæ Passionis, in quintâ Sabbati incidit; vt videlicet Dominus, sexta Sabbati crucifixus, Sabbato ipso in sepulcro quiesceret, ac primam Sabbati sua resurrectione consecraret.* Nec discrepat S. August. lib. 4. de Trinit. c. 5. *Sicut*, ait, *à maioribus traditum, suscipiens, Ecclesiæ custodit autoritas, octauo Calendas Apriles conceptus creditur Christus, quo & passus.* S. Io. Chrysostomus in Orat. de Natiuitate Io. Baptistæ. *Quo die*, inquit, *conceptus est Dominus, eôdem die & passus est; conceptus est enim mense Martio, octauo Cal. Apriles.* Et Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, in Epist. ad Synodum Carthaginensem; *Christus*, ait, *eôdem die conceptus est in vtero & mortuus in cruce.* Atqui, Annuntiationis D. Virginis MARIÆ, seu Incarnationis D. N. IESV CHRISTI festum, celebrandum esse octauo Cal. April. omnes vno ore, vna mente docent: idem sensus & consensus est tam Græcorum Menologiorum, quam Latinorum Martyrologiorum. Huius diei, festique celebratio notatur etiam in secunda Synodo cap. 12. vt est apud Theodorum Balsamonem pag. 228. Et Hierosolymis fit commemoratio S. Latronis Dismæ, qui in cruce Christum confessus, ab eo meruit audire diuinissimum promissum; *Hodie mecum eris in paradiso.* S. Sulpitius Seuerus, qui ad annum Christi 400. scripsit; *Anno*, inquit, *Herodis octauo & decimo, Dominus crucifixus*

cifixus est, Fusio Gemino, & Rubellio Gemino Consulibus. Idipsum sentit Iulius Africanus, qui sub idem ferè tempus, quo Tertullianus, scripsit, & in cuius libris, teste S. Hieronymo non est repertus error, eôdem S. Hieronymo in Danielem, & Beda de temporibus c. 10. testibus, in 5. volumine de VII. hebdomadibus; *Permansit*, inquit, *regnum Persicum vsq; ad initium Macedonum annos ducentos triginta, & ipsi Macedones regnauerunt annos trecentos, atq; inde vsq; ad quintum decimum annum Tiberij Cæsaris quando passus est Christus, numerantur anni sexaginta.* Et Suidas in Voce ἄυτη. ἄυτη, ait, ἐςὶ, τὸ κυριακὸν πάσχα, μαρτίου κε. *Ipsa est Dominicum Pascha, Martij die vigesimo quinto.* Epiphanius Episcopus Constantiæ Cypri, in suo Panario contra Quartadecimannorum hæresin 30. quæ & 50. pag. 182. Ἀπὸ τῶν ἄκτων δῆθεν Πιλάτου, ait, αὐχοῦσι τὴν ἀκρίβειαν εὑρηκέναι, ἐν οἷς ἐμφέρεται τῇ πρὸ ὀκτὼ καλανδῶν ἀπριλλίων τὸν σωτῆρα πεπονθέναι, καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ βούλονται ἄγειν τὸ πάσχα, ὁποίᾳ δ᾽ ἂν ἐμπίσῃ ἡ τεσσαρεσκαιδεκάτη τῆς σελήνης. *Ex actis nimirum Pilati gloriantur se exactam rationem inuenisse, in quibus contineatur ante diem 8. Cal. April. Saluatorem passum esse. Quare, ea ipsa die Pascha agendum censent, qualicunq; demum die decima quarta Luna inciderit.* Sic & apud Irenæum Gnostici aduersus hæreses lib. 2. c. 28. Euangelio Nicodemi sanè apocrypho, manuque scripto, titulus præfigitur; Ὑπομνήματα τῶν πραχθέντων εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου ἡγεμόνος, συγγραφέντα ὑπὸ Νικοδήμου ἄρχοντος συναγωγῆς τῶν Ἰουδαίων γράμμασιν Ἑβραϊκοῖς. Ἐν ἔτει δεκάτῳ (πέμπτῳ) τῆς βασιλείας Τιβερίου Καίσαρος τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς, καὶ Ἡρώδου βασιλέως τῆς Ἰουδαίας, ἐννεακαιδεκάτῳ ἔτει τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ, τῇ πρὸ ὀκτὼ καλανδῶν, ἥτις ἐστὶν εἰκὰς πέμπτη τοῦ Μαρτίου μηνός, ἐν ὑπατείᾳ Ῥούφου, καὶ Ῥουβελλίωνος, ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς διακοσιοστῆς δευτέρας ὀλυμπιάδος, ἐπὶ ἀρχιερέως Ἰωσήπου τοῦ Καϊάφα, ὅσα μετὰ τὸν σταυρὸν, καὶ τὸ πάθος τοῦ κυρίου ἡμῶν γράμμασιν ἑβραϊκοῖς ἱστορήσας Νικόδημος ἔγραψε, καὶ τοῖς μετέπειτα κατέλιπεν,

ὡδίπως ἔχῃ. Acta (seu commentarius) eorum, quæ facta in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, *sub Pontio Pilato Præside, scripta à Nicodemo Synagogæ Principe lingua, literisq; Hebraicis. An. Domini (quinto) Imperij Tiberij Cæsaris in principatu Romanorum, & Herodis Regis Iudææ vndecimo regni anno, A. D. octauã Cal. April. quæ est 25. mensis Martij, sub Consulatu Rufi & Rubellionis Olympiadis ducentisimæ secundæ anno quarto sub summo sacerdote Iosepho, cognomento Caipha, quæ, & quantacunq; post crucifixionem, & passionem Domini nostri literis Hebraicis Nicodemus conscripsit historicè, & posteris dereliquit sic habent.*

Sed & M. Aurelius Cassiodorus in Chronico, octauo Cal. Apr. passum esse Christum notat. S. Hippolytus Portuensis Episcopus, Arabũ Metropolitanus, idemq; Martyr, Anno Christi vulgari, 222. anno Alexandri Imp. primo, cyclum suum Episcopalem inchoat; in quo Cyclo, An. Cycli & Christi 32. (qui est annus Christi vulgaris 29.) passionem item Christi signat octauo Cal. Aprilis.

Galli sanè olim, Tusci quoq; ac Montani in Asia, vt Ecclesiastica Historia, Venerab. Beda, & alij passim asserunt, octaua qualibet die Calendarum Aprilium, cuiuscũq; tunc ætatis esset Luna, festum Paschæ celebrabant. Quin & Hispani Anno Christi 656. in Concilio Toleti, Cal. Decemb. habito, Festum ipsum Annunciationis D. Virginis Deiparæ, quod Exspectationis vulgò vocitant, ab octaua die Cal. Aprilium ob hanc ipsam causam, quoniã is dies Christi Domini commemoranda morte occupatus esset in diẽ 18. Decembris transtulerunt. Quare, haud immeritò Beda de Temp. c. 47. *Quod*, ait, *octauo Calend. Apriles Dominus crucifixus sexto Calendas resurrexerit multorum latè Doctorum Ecclesiasticorum constat sententiã vulgatum.* Georgius etiam Cedrenus pag. 156. *Tempus*, inquit, *salutaris Passionis à Romanis exactius designatur. Nam in Consulatu Gemini passum esse significarunt, qui contigit anno 1. Olympiadis 202.* Annus

nus quippe hic Olympiacus inchoatur anno Christi vulgari 29. Quo anno, fastis Consulum vulgaribus, ambo Gemini signantur & notantur Consules.

CAP. CLXXIX.

Anno Christi vulgari 34. voluente, reverâ Christum esse passum, indubitatum, certumque efficit Ecclesiæ Romanæ constans traditio. Eius traditionis Ven. Beda lib. de Temp. c. 45. hisce commeminit: *Habet ni fallor Ecclesiæ fides, Dominum in carne paulò plus quàm triginta tres annos, vsque ad sua tempora Passionis vixisse.* Et dehinc nonnihil: *Sancta siquidem Romana & Apostolica Ecclesia, hanc se fidem tenere, & testatur Indiculis, qua suis in cereis annuatim scribere solet; vbi tempus Dominicæ passionis in memoriam populis reuocans, numerum triginta annorum semper, & tribus annis minorem, quàm ab eius incarnatione Dionysius putat, adnotat. Denique anno ab eius natiuitate, iuxta Dionysium, septingentesimô primô, indictione quartâ decimâ, fratres nostri, qui tunc Romæ fuère, hoc modo se in natali Domini in cereis sanctæ* MARIÆ *scriptum vidisse, & inde descripsisse, referebant: A Passione Domini nostri* IESV CHRISTI *anni sunt sexcenti sexaginta octo.* Hæc Beda. Subtrahe igitur ex annis Christi vulgaribus, seu Dionysij 701. (qui quidē annus est ipsissimus Indictionis decimę quartæ) an. 668. & relinquūtur integri anni Christi vulgares 33. atq; ita, quod sequitur, anno Christi vulgari 34. inchoante, passus est Christus. Quanquā Cæsar Baronius Card. pro 701. legendum, & reponendum censet 702. Sed tum, 668. ex 702. subductis, remanerent integri 34. non 33. nec incideret annus Dionysij 702. in 14. sed in 15. Indictionem. Rectè tamen Historicus Ecclesiasticus hic, vt doctiss. ita laboriosissimus, Passionem Christi hoc ipso anno Christi vulgari 34. adscribit.

CAP. CLXXX.

Certissimum autem id esse, Christum scilicet hoc anno vulgari 34. quo terminus Paschalis, seu decima quarta

Luna in diem 8. Cal. April. exactè incidit, & quidem Geminis ipsis Romanis Coss. passum esse, demonstrat S. Augustin. lib. de ciuit. DEI 18. cap. vltimo: Vbi de Paganis, qui Christianorum religionem non vltra 365. annos duraturam, maligni ominabantur augures, hæc scribit: *Mortuus est Christus, duobus Geminis Coss. 8. Calend. Apriles; resurrexit tertia die; post quadraginta dies ascendit in cælum; post decem dies, id est, quinquagesimo post suam resurrectionem die, misit spiritum sanctum. Tunc itaq; nominis illius cultus exortus est. Ac per hoc colligitur etiam dies, ex quo annus ipse sumpsit initium, scilicet quando missus est Spiritus sanctus, id est, per Idus Majas. Numeratis proinde consulibus, trecenti sexaginta quinq; anni reperiuntur impleti per Idus Majas, consulatu Honorij & Eutychiani. Porrò sequenti anno, cum socium accepisset Honorius Consulem Manlium Theodorum, iam secundùm illud oraculum dæmonum, aut figmentum hominum, nulla esse debuit religio Christiana.* Hæc D. Augustinus. Atqui constat, anno Christi vulgari 398. Coss. fuisse ordinarios Honorium Augustum quartùm, atque Eutychianum, annoq; proximè sequente, Christi vulgari 399. inijt quidem adijtq; Constantinopoli cõsulatum cum Flauio Eutropius Eunuchus: is verò in Magistratu & mortuus est, & nomen eius Fastis consularibus erasum; adeò, vt Claudianus, qui eò tempore Panegyricum conscripsit, de Fl. Manlio Torquato dicat; *Culmen vtrumque tenes.* Itaque si annis Christi 33. vulgaribus exactis, adijcias annos illos 365. vulgaris annus Christi 398. prodibit; quo currente, ex Idibus Maijs procurrit, ac proximè consequente anno 399. Idibus Maijs annus vltimus annorum 365. finitur. Soliti verò sunt Christiani Veteres, præsertim Italiæ, Galliarum, & Africæ, Christi annos à passione & resurrectione Dominica potius, quàm ab Incarnatione eiusdem, vel natiuitate numerare.

Vnde illud eiusdem D. August. lib. eodem, c. 53. *Frustra,*

in-

inquit, *annos, qui huic ſeculo remanent, computare ac definire conamur. Cùm hoc ſcire, non eſſe noſtrum, ex ore Veritatis audiamus. Quos tamen alij quadringentos, alij etiam mille, ab Aſcenſione Domini, vſq; ad eius vltimum aduentum, compleri poſſe dixerunt.* Proinde, minimè mirum, illos annorum à Paſſione Chriſti deinceps elapſorum numerum exactè & obſeruaſſe, ac conſeruaſſe.

Q. Iulius Hilario, Autor vetuſtus; quippe qui ſe anno à Paſſione Domini 369. ſcripſiſſe aſſerat, nona die Calend. Aprilium Chriſtum eſſe paſſum refert: opinor, ideò fieri; quod ante diem 8. Cal. April. pro, pridie 8. Cal. April. aſſumat forſitan.

Hippolytus Thebanus *ἐν τῷ χρονικῷ συντάγματι*, (Chronologico opuſculo) notat; *ἀπὸ χριστοῦ ἀναλήψεως, ἕως Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου Βασιλέως, καὶ θεοσεβοῦς ἀνδρὸς, ἔτη σϛ΄ζ.* A Chriſti Aſſumptione vſque ad Conſtantinum Magnum Imperatorem, pijſſimum, annos 398. Et mox; *ὁ δὲ θειότατος βασιλεὺς κτίσας πόλιν ἐν τῷ αὐτοῦ ὀνόματι ἐν τῷ Βυζαντίῳ. Ipſe verò diuiniſſimus Imperator condidit Vrbem ſuoq; nomine inſigniuit, Byzantij.* Et quidem ſi exactis Chriſti annis 33. vulgaribus, hoſce annos 297. ſubiungamus, conflamus exactè annum Chriſti vulgarem 330; quo ipſo Conſtantinopolis eſt condita. In Cyclo 532. annorum Paſchali, Victorini Aquitani, quem Hilari Pontif. Max nutu, circa annũ Chriſti 461. conſcripſit, atque vnà cum anno Chriſti 30 inchoauit, anno verò 561. terminauit; hoc ipſiſſimo vulgari Chriſti 34. anno ſignatur Dominica Paſchalis die 5. Cal. April. & ad marginem libelli adſcriptum eſt, PASSIO CHRISTI.

CAP. CLXXXI.

Iudæi in ſolenniſſimo ſuo calculo, ab Era Chriſtianorum ſeu Romanorum vſque ad Conſtantinum Magnum annos numerant 273. Cæterùm, iam iam demonſtrauimus, Chriſtianos Veteres, Occidentis præſertim, annos

P Chri-

Christi à Passione potius, quàm ab incarnatione, vel natiuitate putasse. Quare, si annis Christi vulgaribus 33. actis & exactis, annos Passionis Christi 273. subdideris, annũ Christi vulgarem 306. ritè colliges. Illo enim currente atque desinente octauo Cal. Aug. Constantini Magni inchoatur Imperium.

CAP. CLXXXII.

Ex ipso dehinc S. Ioannis c. 2. v. 20. loco, constat, Passionem Christi, tardiùs quàm fuêre Gemini Consules (qui annos Tiberij à morte Augusti decimo quinto Magistratum Consulatus tenuêre) nulla ratione posse designari. Etenim, alloquantur ibidem Iudæi Christum, vno atque altero, ante passionem ipsius anno, hiscé verbis: τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος, καὶ σὺ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερεῖς αὐτόν; *Quadraginta & sex annis ædificatum templũ istud* (Herodis scilicet Ascalonitæ sumptu & ambitione conditum) *& tu in tribus diebus excitabis illud?* Constat verò cum primis ex Iosepho & alijs, An. V. C. (Tab. Cap.) 716. M. Vipsanio Agrippa, & L. Caninio Gallo Coss. Hierosolymis ab Herode captis regnũ Herodis Iudaicum esse cęptũ. Habet etiam Iosephus Antiq. lib. 15. c. 14. Herodem eundem anno regni sui decimo octauo, seu, quod sequitur, An. V. C. (Tab. Cap.) 734. currẽte, templũ Hierosolymitanum exstruere cępisse. Annis igitur 733. exactis, subiungo annos 46. & conflo annũ ipsissimũ V. C. Tab. Cap. 789. seu annũ ab initio tẽpli ab Herode conditi 46. currentẽ, hoc est, exactè biennio ante Geminos Consules. Nec verò hîc obstet, Iosephũ de bello Iudaico l. c. 16. Initium exstructionis huiuscé tẽpli in annum Herodis decimum quintũ conijcere. Nam & sibimet ipsi hac in re contradicit. Fluxit verò hic error ex illo altero, quo Iosephus ipsum etiam regni Herodis initium integro similiter triennio, iusto citius, & priusquam Hierosolyma occupasset, signauit. Denique, hac ratione, annus

annus exædificationis templi huius 46. incideret in annum ante Geminos Consules quintum, quod perquam est absurdum.

CAP. CLXXXIII.

S. quoque Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, anno illo, quo passus est Christus, decimam quartam Lunam, seu Paschalem terminum in feriam incidisse quintam, disertè testatur. Nam in Epistola sua Paschali hæc scribit; *Christus celebrauit Pascha*, hebdomade, *quâ fuit quarta decima Luna: denique ipsâ die Pascha cum discipulis manducauit: sequenti autem die, hoc est feria sexta, crucifixus est Luna quinta decima: Sabbato quoque magno illo sexta decima fuit: ac per hoc, decimâ septimâ Lunâ resurrexit à mortuis. Vnde hæc lex Pascha nobis seruanda est, vt non quartam decimam obseruemus in die resurrectionis, sed in die magis passionis.* Hæc B. Ambrosius. Quam quidem traditionem non modò tenēt recentiores, vti Paulus Mittelburgens. Ioannes Lucidus, & alij: sed & Veteres, quos inter est Iunilius Africanus Episcopus, cuius verba & sententiā supra retulimus; sed & Venerab. Beda de ratione Temp. c. 45. vbi planissimis verbis tradit, eo anno, quo Christus fuerit passus, decimam quartam Lunam incidisse in quintam feriam; Christum tamen feria sexta passum.

CAP. CLXXXIV.

In excerptis Chronologicis fragmentis barbaro-latinis anni Christi 518. quo ipso anno Hesychius Illustris scripsit vt habetur in Thesauro Temporum Iosephi Scaligeri, multa reperire est argumenta, è quibus clarè colligitur, etiam annos Imperij Augusti Octauiani, post mortē C. Iulij Cæsaris, consurgere cum anno antè Christum 38. ab initio scilicet Eræ Hispanorū; & Christum passum esse inchoante anno Eræ illius 72. Christi 34. Geminis Coss. 8. Cal. April. Inprimis. n. ita habetur. *Anno 38. Augusti* (ex quo Iulius Cæsar occisus fuerat, & Octauianus, qui & Augustus, sumserat Imperium) *Chiridio & Marcello Coss. In his temporibus sub Au-*

gusto natus est Ioannes Præcursor Zachariæ filius 8. Calen. Iulias. Et sanè, exacto anno post C. Iulij Cæsaris cædem 38. currente anno primo Christi vulgari, 8. Cal. Iulias, natus est Ioannes. Idem Auctor, anno Cleopatræ vltimo numerat annum mundi 5431. Post, tribuit C. Iulio Cæsari annos 18. atq; exinde anno 44. Augusti; sicque Anno mundi 5493. hæc habet. *Anno 44. Augusto & Siluano Coss. Iisdem Coss. D. N.* IESVS CHRISTVS *natus sub Augusto 8. Calend. Ianuarias; Chuac 28.* Et re vera annus mundi 5493. secundum Antiochenos, quos Auctor sequitur, est annus Christi primus vulgaris; quo ipso anno 8. Cal. Ian. natus est CHRISTVS. Quod verò Auctor sequatur rationem annorum Mundi Antiochenorum, quibus anni Christi, octennio minores vulgaribus inchoantur anno Mundi 5500. exacto; id ex sequentibus eiusdem verbis constat: *Fiunt ab Adam vsque ad Natiuitatem Domini anni 5500.* Et paulò ante finem; *Constantio Augusto decimum, & Iuliano Cæsare secundùm Coss.* (sicque anno Christi 360. vulgari) *Eodem anno completi sunt vndecim* (vndecim enim pro decem legendum censeo,) *Cycli seculares ab anno 532.* (intellige, annorum 532.) *Fiunt verò ab Adam vsq. ad Consulatum huius,* anni omnes 5852. (ita lego, pro 5854. ob similitudinem notarum IV. & II.) Et sanè Antiocheni hoc ipso anno CHRISTI 360. vulgari, numerant annum Christi 352. & Mundi 5852. hoc est, cyclorum vndecim 532. annorum exactè.

Denique ex hac nostrate nouâ, certâ, atque exactâ Chronologiâ constat, Anno Christi 34. vulgari, quo terminus Paschalis in 8. Cal. April. incidit, C. Rubellio Gemino, & C. Fusio Gemino Coss. passum esse Christum. *Atqui* (vt ille ipse Chronologicus Auctor habet) *Christus transfiguratus est in monte sub Consulatu Rubellionis, 14. Calend. April. Quando autem mysterium agebat cum discipulis suis, sub Consulatu Rubellionis 9. Cal. April.* Et paulò post idem Auctor, exacto

anno

anno Augusti 71. (sicque inchoante 72. Augusti, & 34. Christi anno vulgari pariter inchoante) ita habet. 72. (anno Augusti, ex quo, vt idem scribit, Iulius Cæsar est occisus, & sumpsit Imperium Octauianus, sicque inchoante anno vulgari Christi 34.) *Tiberio Augusto sextùm, & Silo Coss. Eodem anno Dominus noster* IESVS *crucifixus est, sub Consulatu Rubellionis 8. Cal. April. Surrexit autem sub consulatu Rubellionis 6. Cal. Apr. ascendit autem D.N. 3. No. Maias. Missus autem est Spiritus S. Id. Maij. Paulus autem Apost. in apostolatũ ordinatur 8. Id Ian. in cõsulatu Rubellionis post Ascensionẽ Saluatoris nostri mense 8.* Ex quibus apparet, quantâ constantiâ, ex traditione S. Ecclesiæ antiquissimâ, & longè verissimâ, fuerit creditum, anno Augusti post necem C. Cæsaris, sicq; anno Eræ Hispanorũ 72. seu anno Christi 34. vulgari inchoante, & quidẽ C. Rubellio Gemino, atque C. Fusio Gemino Coss. passum fuisse D.N. IESVM CHRISTVM 8. Cal. April.

Postremò; Idem Auctor obitum Titi signat Anno Augusti 114. sed obijt Titus anno Christi 81. subtractis 81. ex 114. remanent anni ante Christum 33. Similiter obitum Domitiani signat anno Augusti 129. Confossus est verò Domitianus 14. Cal. Octob. Anno Christi 96. vulgari; quibus quidem 96. annis ex 129. subductis; pari ratione anni ante Christum natum 33. remanent. In Fastis quippe Consularibus ab Augusti obitu ad Neronis mortem redundant 5. anni; quod quidem quinquennium, si illis ipsis 33. annis iungas, conflabis annum ante vulgarem Epochã Christi 38. pro initio Imperij Augusti; eàdem etiam probatur operâ, in hoc interiecto spatio, integrum in annis V. C. seu Fastis Consularibuss redundare quinquennium.

CAP. CLXXXXV.

Omnes etiam illi, qui anno à Passione, vel Assumptione Christi 42. Hierosolymorum signant excidium, iuxta item vulgares Consulum Fastos, inchoante Anno 15. Ti-

berij ab Augusti morte, Geminis Coss. passum esse Christum tenent. Hierosolymitanum enim excidium contigit anno vulgari Christi 70. & incidunt Gemini Consules, iuxta vulgares Consulum Fastos in annũ Christi vulgarem 29. Vnde S. Hieronymus in Sophoniȩ c.1.v.17. *Post anno*, ait, 42. *Dominica Passionis, circundata est ab exercitu Hierusalē, & consummatio illius facta est cum festinatione, & non solùm illius, sed cunctis terra Iudaa habitantibus.* Sic & Georgius Hamartolus, Tarasij Constantinopolitani Patriarchæ Syncellus, seu Coadiutor, tradit; ἀπὸ τῆς ἀναλήψεως τοῦ χριστοῦ, ab Assumptione Christi ad vsq; S. Vrbis euersionem annos esse 42. Et Clemens Alexandrinus (qui ad obitum vsque Commodi scripsit, exacto anno Christi 192.) Stromat. lib. 1. pag. 147. Πεντεκαιδεκάτῳ ἔτει τιβερίου, καὶ πεντεκαιδεκάτῳ Αὐγούστου, οὕτω πληροῦνται τὰ τριάκοντα ἔτη, ἕως οὗ ἔπαθεν. ἀφ᾽ οὗ δὲ ἔπαθεν ἕως τῆς καταστροφῆς ἱερουσαλὴμ γίνονται ἔτη μβ, μῆνες γ. *Decimo quinto anno Tiberij, iunctis quindecim Augusti annis*, (vltimis) *terminantur triginta anni vsque ad Passionem Christi; & à Passione Christi ad euersionem Hierosolymorum anni sunt 42. menses tres.* Hæc Clemens.

Sulpitius quoq; Seuerus, qui disertis verbis Passionem Christi Geminis adscribit consulibus, ab ijsdem ad Stiliconem Consulem numerat annos 372. Templumq; sanctum dirutum tradit abhinc, hoc est, à Stilicone Consule, retrorsus, 331. annos; sicq; annis 41. integris minus.

CAP. CLXXXVI.

Gregorius Turonis Episcopus, auctorq; peruetustus; vt qui Francorum historiam anno Gregorij Magni Pontif. Max. anno quinto, Christi verò vulgari 594. exorsus, principio sui operis protestatur, se in ratione temporũ, Eusebij, & Hieronymi presbyteri sequi Chronicon. Et quanquam Eusebius statuat Christum esse passum anno Mundi 5231. nihilominus ipse Turonensis Christi passionē anno demũ mun-

mundi 5234. desinente signat; id quod ex tribus Historiæ ipsius locis colligo. Qui quidem Gregorius, Christi passi tempus exactè notasse videtur: cùm annus Mundi 5234. incidat in annũ Christi vulgarem 33. ideoq; reuera exacto Mundi anno Eusebiano 5234. inq; ipso ingressu anni 5235. passus fuerit Christus. Quod autem Gregorius hic Turonensis senserit, anno Mundi desinente 5234. passum esse Christum, id in primis ex fine illius operis patet. Hîc enim disertis tradit Verbis se scripsisse hoc opus anno Mundi 5864. & anno à Passione Christi 630. Itaq; si hosce 630. annos ex 5864. subtrahas, annus Mundi 5234. desinens, ritè remanet. Deinde, id ipsum licet colligere, ex eiusdẽ Auctoris libri primi principio. Etsi enim isthic statuere videatur, anno Mundi 5134. passum esse Christum; attamen tam ex sacris literis, quàm ex Eusebij Chronico, vti etiam hinc, ne secum Auctor idem pugnet, constat, à conditione templi Salomonis, vsque ad eiusdem excidium, non 340. sed potius 440. annos esse constituendos.

Denique hanc eandem ipsius sententiam è fine libri quarti, licet deducere. Tametsi enim hîc Passionem Christi collocare videatur ad annum Mundi 5154. attamen ex ijs, quæ iam dicta, præsertim verò, ne idem Auctor trifariam sibi in eodem contradicat Opere, statuendum, etiam hoc loci à conditione Templi Salomonis, ad eiusdẽ excidium extremum & desolationem, perperam 360. annos poni; ac 440. annos etiam hîc reponendos, substituendosque. Itaque dicendum, sensisse etiam hoc loco Gregorium Turonensem, anno Mundi Eusebiano 5234. desinente, sicque, quod sequitur, anno Christi vulgari 33. exacto, passum esse CHRISTVM; & quidem ritè: cùm illis temporibus etiam Romę numerari solerent anni à Passione Christi, consurgentes vnà cum anno Christi nati vulgari 34.

CAP.

CAP. CLXXXVII.

Hæc sanctæ Romanæ Ecclesiæ, adeoq; sanctissimorum vetustissimorumque Patrum vnanimis, constansque sensus, & consensus; qui CHRISTI Passionem in Consulatum Geminorum, sicque in annum Tiberij Imp. decimum quintum conferunt; tot, tantisque circumuallatus est Auctorum, auctoritatumque firmamentis, vt mirandum videatur, recentiores ab ea recedere potuisse. Video tamen discessionis huius causam grandem grauemq;: quo factum eorum est excusabilius. Etenim non Fastorum modò Consularium, sed ipsius D. Lucæ c. 3. v. 1. corruptio, deprauatioq;, recentiores nolentes, volentes, tantum non adegit, vt vel inuiti Passionem Christi signarent tardius. Tradit quippe S. Lucas; *An. quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris, factum est Verbum Domini super Ioannē Zachariæ filium in deserto.* Et mox; *Et* IESV *baptizato, apertum est cælum.* At rursus: *Et ipse* IESVS *erat incipiens quasi annorum triginta.* Ego verò illud ἐναντιοφανὲς, quod recentiores torsit, inque nouam Chronologicam opinionem detorsit, vnico resoluo verbulo. Etenim aduertendum est; S. Lucam in Prouincijs extra Italiam sitis, scripsisse Euangelium: atque hinc, hæc eius de Imperio Tiberij verba, de Prouincijs extra Italiam esse accipienda.

Nactus est autem, obtinuitque Imperium in Prouincijs extra Italiam vniuersim, vnà cum Augusto, tertio ante obitum Augusti anno, integroque biennio, antequam Augustus diem suum obijsset. Id verò hisce argumentis comprobo.

CAP. CLXXXVIII.

In primis pleriq; Auctores Imperium Augusti non à morte C. Iulij Cæsaris, sed biennio tardius, nimirum ab eo tempore, quo primum Consulatum inierat, perperam solent inchoare. Absurdum enim illud esse, atque adeò à more

more aliorum Historicorum alienum, non modò aliorum Imperatorum euincit exemplum; quorum anni Imperiorum à cæde, vel morte illius, qui in Imperio præcessit, solent inchoari: verùm ipsa etiam ratio docet, dictatq; hoc ipsum in hac Imperij successione eodem modò fieri, & obseruari debuisse: ne (quod recentioribus istis fit) integri biennij inter cædem Iulij Cæsaris, & initium Augusti, tanquã alicuius interregni, vastitas & hiatus in medio relinquatur. Quanquam achronologiæ huius absurditas, vel hinc etiam deprehendi potest; quod biennij huius intercepti consulatus ita prætereantur, vel certè sepulti iaceant, quasi nihil penitus ad Imperium, vel pertineant, vel conferant. Proinde Fasti consulares vulgares corrupti adegerunt hosce Autores, vel inuitos hanc absurditatem committere, atq; Imperium Augusti à primo eius consulatu demum ordiri; adeoque, omisso C. Iulio Cæsare, aliôqui Monarchiæ Romanæ Auctore, Augustum pro primo Imperatore signate. (Re cæteroqui verâ, Monarchia Romana ab autumno illo ducit initium; quo C. Iulus Cæsar Pompeium Magnum debellauit currente anno ante Christum 43.) Id, cùm ex traditione notum esset, atque hoc ipsum tempus, iuxta vulgares Consulum Fastos in principium primi consulatus incideret; hinc, vel inuiti exinde Monarchiam Romanam ordiri coacti sunt. Sed rectius, certiusque Imperium Augusti à C. Iulij Cæsaris cæde ducit primordium.

CAP. CLXXXIX.

Annos igitur Romanæ Monarchiæ, ex anno ante Christum natum 43. atq; adeò à Pompeio Magno debellato, & primi anni, Imperij C. Iulij Cæsaris, initio consurgere oportere, id ex ipso C. Suetonio Tranquillo, Auctore peruetusto, atque omni exceptione maiore teste, non quidem iuxta vulgarem eius contextum, qui in annis ad nos

posteros deuenit deprauatissimus, ita, vt in ratione temporum non ab alijs modò, sed à sese item dissentiat, nec exactè secum conciliari potest; sed vti sententia ipsius ad Ausonium V. C. peruenit, ex Ausonij eiusdem versibus, qui librariorum quà de numeris præsertim, corruptelam, minus facile admittere possunt, planum faciam. Ausonius proinde suis in versibus, ex eôdem Suetonio, tribuit Iulio quidem Cæsari in Imperio, annos tres: Augusto, 56. Tiberio, 23. Caio, tres: Claudio, 13. Neroni totidem; qui annorum numeri, collecti, Monarchiæ Romanæ, à primo anno Iulij Cæs. vsque ad Neronis obitum conflant annos, 111. Quare, cùm constet, Neronem anno Christi vulgari 68. 4. Id. Iunij obijsse; subtractis hisce 68. annis, ez illis 111. relinquitur annus ante CHRISTVM natum 43. quo voluente, C. Iulius Cæsar Pompeium Magnum deuicit, & iuxta hanc nouam nostram veramque Chronologiam, Romanæ Monarchiæ Princeps, Auctorque fuit.

CAP. CXC.

C. verò Iulium Cæsarem non nisi tres annos imperium gessisse, præter auctoritatem Suetonij, ac aliorum Auctorum, ratio ipsa temporum id euincit. Anno enim Tab. Cap. 705. desinente, ipso Cæsare secundùm, & P. Seruilio Vasia Coss. die 19. Augusti, in Pharsalica acie debellauit Victor; & anno V. C. Tab. Cap. 709. inchoante, Idibus Martijs occisus est. Quamobrem omnes illi audiendi non sunt Chronologi, aut Historici, qui vel annos 4. vel annos quaternos & menses 7. vel annos etiam 5. vel demum annos 5. ac 7. menses, Iulij Cæsaris Imperio perperam adscribunt. Sed, vt supra innui, venia ipsis est habenda. Ad hoc enim absurditatis vel inuiti, adacti sunt. Etenim iuxta vulgares Consulum Fastos, inuenêre Monarchiæ Romanæ initium demum biennio post Iulij Cæs. Occurrere;

rere; vnde collegerunt, id esse Augusti Imperij primordium: vt vel hinc liqueat, vulgares Consulum Fastos hiare: cùm & Iosephus, & Clemens Alexandrinus; quin & Theophilus & Ausonius è Suetonio, vti supra visum, Imperio Iulij non nisi trieteridem tribuant: id quod & Historica ratio, temporumque ordo ac series demonstrant.

CAP. CXCI.

Monarchiam Romanam ab anno ante Christum natum 43. desinente, initium capere, hac etiam ratione licet deducere. Festi Rufi, V. C. de Historia Romanorum ad Valentinianum Augustum, verba hæc sunt: *Ab Vrbe Condita in ortum* (Imperij) *perennitatis vestræ, quò prosperius Imperium Romanorum sortitus es, anni numerantur sic; Sub Regibus 243. sub Consulibus, 467. sub Imperatoribus, 407.* Et mox: *Consules*, ait, *fuerunt à Iunio Bruto & Poblicola in Pansam & Hirtium per annos 467. Imperatores ab Octauiano Cæsare Augusto vsq. in Iouianum per annos 407. sub Imperatoribus per annos 407.* Obijt autem Iouinianus (cum mensibus 7. diebus 22. Imperiũ tenuisset) anno Christi 364. 13. Cal. Martij, eiq; successit Valentinianus (ad quem, & cuius Imperij anno primo Auctor Libellum suum conscripsit) qui religione aliqua retractus euitans diem 6. Cal. Mart. illius anni intercalarem, 5. demum Cal. Mart. Imperij suscepit insignia.

Et sanè, iuxta item Tabulas Capitolinas, Roma sub Regibus fuit annis 243. & postmodò sub Consulibus vsque ad Pansę Hirtijque Consulatum annis totis 467. vti Rufus tradidit; ita vt annis 243. & 467. iunctis, anno V. C. Tab. Cap. 710. Consulatus Hirtij & & Pansæ statuatur, anno re verâ ante Christum natum 38. sed iuxta vulgares, vitiatosque Consulum Fastos, anno ante Christum 43. quinquennio scilicet iusto citius. Hoc quippe ipso anno desinente Au-

gustus primum inijt Consulatum; è quo ipso tempore Festus Rufus Monarchiæ Romanæ ducit, docetq; initium. Etenim annis Christi 364. ex annis Monarchiæ Romanorum Imperatorum, iuxta Festum Rufum 407. subductis; prodit annus ante Christum 43. quo desinente, Rufus Monarchiam Romanam vnà cum primo Consulatu Augusti, iuxta vulgares Consulum Fastos, cum alijs passim Auctoribus inchoat: sed coactus. Nam & ipse nolens volens, ex Imperatorum Catalogo totam Monarchiam seu Imperium Iulij Cæsaris, trium scilicet annorum, cum duobus primis Imperij Augusti annis, qninquennium scilicet, quo Fasti Consulares Vulgares ab Augusti obitu deinceps redundant, excludit penitus; Imperium verò Augusti, adeoque ipsam Monarchiam Romanam, à primo Augusti Consulatu orditur perperam. Πρᾶγμα πλέον ἀτοπίας: ex quo, pro more, velut vno admisso absurdo, sequantur alia plurima; cùm vel vnicus in re Chronologica, sicut & in mathesi admissus error, haud exiguam post se ducat, trahatque errorum familiam. Hanc verò errorum turbam subijcere libet oculis. Primum ex Elencho Monarcharum, ac Impp. Romanorum eliminant C. Iulium Cæsarem, Romanorum Monarcharum, atque Impp. omniũ primum, principemque, ipsiusmet Monarchiæ atque Imperij Romanorum Auctorem ac Conditorem. Biennium præterea imperio Augusti subtrahunt, vel certè in medio relinquunt vacuum; vel, qui error æquè pudendus, Imperio Iulij Cæsaris, qui iam tum cæsus erat, post mortẽ ipsius nihilominus adscribunt; manesque Imperatorios, ad superos, fascesque, inuito Plutone, retrahunt. Quin, interim, præter integros annos tres Imperij Iulij, etiam 7. menses, qui ab 19. Augusti, Principe Imperij Romani die, vsque in Idus Martias, quibus cæsus est Iulius, excurrunt, eidem adscribunt Iulio. Et denique Imperium Augusti, vt Dio, &

alij

alij non pauci tradunt, adeoque ipsam Romanorum Monarchiam ex ea die inchoant, quo primum suum Consulatum Augustus, vti quidem ipsi opinantur, 19. Augusti, adiuit & iniuit; quasi verò, Consulatum ineundo Augustus Romanam Remp. soluerit, atq; inter Consules esse desierit, & inde cœperit esse Monarcha. quo, quid absurdius? Vt hîc mittam ex Velleio constare Paterculo, Augustum die 19. Augusti Consulatum suum primum nequaquam inijsse. Velleius enim de Augusto disertis tradit verbis: *Consulatum iniјt pridie, quàm viginti annos impleret*, x. *Calend. Octobres cum Collega Q. Pedio.*

CAP. CXCII.

Longè igitur tutius, certiusque est, Imperium Augusti à C. Iulij Cæsaris, qui eundem in Imperio præiuit, cæde, more Impp. sequentium, inchoare. Atque hinc, annum illum V. C. Tab. Cap. 709. quo inchoante, Idibus Martijs confossus est in Curia Iulius, primum Imperij Augusti esse annum, è vetustissimo illo Auctore Anonymo Dialogi de Oratore (vt qui anno Vespasiani Imp. Sexto, se ipso teste, scripsit, floruitque) disertè probatur, ostenditurque ex eo; quod Imperio Augusti annos tribuit 58. Ex quo sequitur, necessariumque planè est, non nisi à cæde Iulij, Augusti inchoasse Imperium. Non verò hîc obsistat, quod Iustus Lipsius ibidem, loco 58. legat *56*. Non enim solùm præter, contraque vetustorum exemplarium fidem, id statuit; verùm etiam ex correctione, vel potius corruptione, ipsorum annorum 120. summa, quæ semel iterumque ibi constanter asseritur, conflari nequaquam potest.

CAP. CXCIII.

Idipsum ostendamus ex Suetonio, qui hæc initio, de Augusto; *Vt primum*, ait, *Augustus occisum C. Iulium Cæsarem, hæredemq; se comperit, Vrbe repetita, hæreditatem adiјt; atq; ab eo*

tenuit, atque Fasti ipsi Consulares euidentissimè ostendunt.

CAP. CXCV.

Idem suo calculo approbet Tacitus. Nam is Auctor in annis V.C. ante Augusti mortem, Tabularum Capitolinarum, & ipse sequitur numerum; cùm (pag. 299.) Cęcilio Metello, & Papirio Carbone Coss. numeret annum V. C. 640. perinde velut Tabulæ ipsæ Capitolinæ: Et 103. pag. annum V.C. octingentesimum, quo Ludi seculares acti sunt, ipse annum appellet 64. Augustus verò Anno V.C. Tab. Cap. 736. eosdem celebrauit, à quo anno in 800. ritè atque exactè anni illi 64. complectuntur. Atqui Tacitus idem libri Historiarum primi exordium hisce inchoat: *Initium mihi operis, Ser. Galba iterum. T. Iunius Coss. erunt. Nam, post conditam Vrbem* DCC. *&* XX. *prioris æui annos, multi Auctores retulerunt, dum res Populi Romani memorabantur pari eloquentia & libertate. Postquam bellatum apud Actium, atque omnem potestatem ad vnum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere.* Hæc Cornelius. Quo loco planum reddit Tacitus; prioris æui annos desinere cum ipso anno V.C. Tab. Cap. 720. qui quidem ipsissimus est annus à cæde Iulij duodecimus.

CAP. CXCVI.

Iungamus, Tacito Clementem Alexandrinum. Is lib. 1. Stromat. pag. 147. siue marginalinum. 127. hæc ponit chronologica. Ἐγεννήθη ὁ κύριος ἡμῶν τῷ ὀγδόῳ καὶ εἰκοστῷ ἔτει, ὅτε πρῶτον ἐκέλευσαν ἀπογραφὰς γενέσθαι ἐπὶ Αὐγούστου. *Natus est autem Dominus noster* XXVIII. *anno, cùm primùm iusserunt censum descriptionemue fieri tempore Augusti.* Et paulò dehinc; εἰσὶ δὲ οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες, ἥν φασιν ἔτους κη Αὐγούστου, ἐν πέμπτῃ Παχὼν καὶ εἰκάδι. *Sunt autem qui curiosius natali Domini non solùm annum sed etiam diem addunt, quem dicunt* XXVIII *anni Augusti, in* XXV. *Martij.* Si ergò exacto anno V.C. Tab. Cap. 720.

720. subiungas annos 28. efficies annum V. C. Tab. Cap. 748. qui iuxta hanc nostram nouam certamque Chronologiam, est annus Christi vulgaris primus: quo currente, 25. die Martij (qui Pachon in hac traditione dicitur; aliâs, est Maius) incorporatus est, & die 25. Decembr. natus est Christus.

CAP. CXCVII.

Idem, quod videlicet anni Imperij Augusti à cæde C. Iulij Cæsaris consurgant, probatur etiam ex alia traditione Veteris Ecclesiæ; quæ biennio ante vulgarem Epocham Christi, natum Christum censuit; & vnà tradidit, Anno Augusti 42. Christum natum. Anno enim V.C.Tab.Cap. 708. seu C.Iulij Cæsaris vltimo exacto, adde annos 42. Imperij Augusti; & prodibit annus V. C. Tab. Cap. 750. quo desinente, iuxta vulgares Consulum Fastos, Veteri illi Ecclesiæ, quàm Græci præsertim omnes sunt secuti, vt quæ in annis nati Christi biennio annos vulgares Christi præuertit, natus est Christus.

CAP. CXCVIII.

Quod verò primus Imperij Augusti annus coincidat anno V. C. Tab.Capit. 709. (qui Dioni, alijsque Historicis, Chronologisque ferè annus est 710.) quo inchoante anno, vt sæpe inculcandum, Idibus Martijs cæsus est Iulius, suffragatur palàm Marcellinus Comes, sub 14. Indictione, Basilisco & Armato Coss. anno Christi vulgari 476. *Hesperium,* ait, *Romanæ gentis Imperium, quod septingentesimo nono V.C. anno primus Augustorum, Octauianus Augustus cœpit, cum hoc Augustulo perijt, anno Antecessorum Regni Imperatorum* D. XX. II. Hæc Marcellinus. Quamobrem annis V.C. 708. ante Imperium Augusti elapsis adde hosce annos 522. & prodibit annus V. C. 1230. Christi verò vulgaris 476. Basilisco, & Armato. Coss. Indict. 14. Rursum, eosdem annos Christi vulgares 476. ex anno isthoc V. C. 1230. subtrahe; atque

Epo-

Epocha Christi vulgaris necessario incidet in annum V.C. 754. desinentem: ideoq; vnà cùm ijs, qui iuxta annos Imperij primorum Imperatorum supputationē, calculationemque temporum factitant, integro septennio, quàm par est, serius Fastis inserit Consularibus; sicque annus Imperij Augusti primus incidit eidem Comiti in annum ante Christum 46. seu annum V. C. 709. quo inchoante Curia Romana cæde Iulij funestata.

CAP. CXCIX.

Porrò annos Monarchiæ Augusti exactè sanè, atque ad vnguem auspicium, initiumque capere, à fine seu exitu alterius quinquennij triumuiratus, ex Calendis Ianuarijs anni V.C. Tab.Cap. 721. seu ante Christum 27. exurgere; id ex annorum ipsorum Augustanorum, seu Augustorum Imperiorum numero, planissimè constat. Etenim Censorinus de die Natali c. 8. *Hic*, ait, *annus, cui velut index & titulus quidam est Vlpij & Pontiani Consulatus, eorum annorum, qui vocantur anni Augustani, est annus 265. ex Calendis Ianuarijs.* Hæc Censorinus. At Vlpius & Pontianus Consules fuère ordine suo, ac serie anno vulgari Christi 238. Proinde hisce Christi annis 238. vulgaribus, ex annis illis Augustanis 265. subductis; prodit annus ante vulgarem Christi Epocham, 27. pro primo anno Augustano, & quidem ex ipsa primâ die Ianuarij, veluti ad punctum, post vltimam Decembris diem anni præcedentis, quo alterum triumuiratus desierat quinquennium, & M. Antonius, iam Imperij, & triumuiratus omnis exsors, priuatus esse cœperat.

Succedit autem annus iste ante Christum 27. iuxta Vulgares Coss. Fastos quinquennio, vt declarauimus, redundantes, annis, quod sequitur, quinque tardius; constituitque annum V. C. Tab.Cap. 726. Octauiano Augusto septimùm, & M. Vipsanio Agrippa tertiùm Coss. Atque

hinc est, quod idem Censorinus, qui vulgares illos Consulares Fastos, cum Autoribus aliis est secutus, hæc admisceat: Ex die videlicet Calendarum Ianuarij consurgere hoscé annos Augustanos: *quamuis in ante diem 16. Calen. Febr. Imperator Cæsar (Octauianus) Diui filius, AVGVSTVS, sententia Munatij Planci, à senatu, cæterisq; ciuibus appellatus sit, se septimum, & M. Vipsanio Agrippa tertium Coss* quippe, cum Censorinus, vt & alij Scriptores Chronologici, Fastos Consulum vulgares pro veris, merisq; vsurparēt, atq; hinc, annum primū Augustanum in annum V.C. Tab. Cap. *726.* (quo Octauianus Augusti cognomen adeptus est) incidere certum haberent; inde in misellam & ridiculam sanè sententiam prolapsi sunt, quasi ex vno duntaxat tempore, quo Octauianus Augusti nomen nactus est, series aliqua, & Ordo annorum Augustanorum surrexerit. Cùm aliòquin ipse Censorinus satis intelligat ne diem quidem, ex qua istos annos consurgere opus est, huic quadrare, ac fauere opinioni: cùm anni isti Augustani ex die Calend. Ianuarij, à fine videlicet alterius triumuiratus quinquennij, numerentur: Octauianus autem alia die cognomen Augusti tulerit.

CAP. CC.

Dio quoque Cassius, Anno V. C. Tab. Cap. *726.* quo Octauianus Augusti cognomine insignitus est, iuxtaque vulgares Consulares Fastos annos ante Christum 27. annos Augustanos, seu Monarchiam Augusti initium capere innuit ibidem, vbi ait: ὁ δῆμος τῶν Ῥωμαίων τῆς δημοκρατίας ἀφῄρητο: *Populus Romanus Democratiam amisit.* Et mox: ὅτι Σέξτος ἀπολώλει, (perijt verò Anno V. C. Tab. Cap. 718.) καὶ ὁ Ἀρμένιος ἑαλώκει (quod vel ipso Dione teste contigit anno V. C. Tab. Cap. 720.) καὶ ὁ δῆμος ἀκριβῶς ἐδουλώθη. *Quando Sextus interierat, & Armenius captus fuerat; populus exactè seruus factus est.*

Dio Coss lib. 51. A. V. C. 726.

Atque

Atque hinc etiam lacuna, seu defectus apud Dionem potest expleri. Etenim posteaquam Dio hoc ipso anno, qui iuxta vulgares Consulum Fastos, in annum ante Christum 27. incidit, recensuisset Augustum vnà cum Augusti cognomine, Imperium sibi vsurpasse, hæc subdit: *οὕτω μὲν δὴ τόδε τοῦ δήμου, καὶ τὸ τῆς γερουσίας κράτος πᾶν ἐς τὸν Αὔγουστον μετέστη, καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ, καὶ ἀκριβὴς* .... *Hac*, ait, *ratione potestas omnis & Populi & Senatus, in Augustū est translata; indeq; exacta* (computatio, scilicet calculatioque annorum Augustanorum consurgit.) Hoc enim supplementum, sententia ipsa exigit. *Idem pag. 581.*

CAP. CCI.

Quod verò Augusti Monarchia, à fine secundi triumuiratus quinquennij cœperit initium, & M. Antonius tum cum Augusto non amplius imperarit, sed priuatam vitam egerit, etiam Dio ibidem hisce testatur: *Τήν τε ὑπατείαν αὐτὸν, ἐς ἣν προκεχειροτόνητο, καὶ τὴν ἄλλην ἐξουσίαν πᾶσαν ἀφείλοντο· πολέμιόν τε λόγῳ μὲν οὐκ ἀπέφηναν, ἔργῳ δὲ πάντως μᾶλλον ἀπέδειξαν. Antonio*, ait, *exacto triumuiratus tempore, & Consulatum, qui prius ei erat in annum illum delatus, & reliquam omnem potestatem ademerunt, Hostem nomine quidem tum non declarabant, sed re ipsâ plus satis.* Hactenus Dio. Quin imò, eo ipso anno desinente, declaratus est etiam Reipublicæ hostis M. Antonius; cùm Sueton. in Augusto c. 17. disertis asserat verbis; *Remisit tamen Augustus M. Antonio hosti declarato, necessitudines, amicosq; omnes; atque inter alios C. Sosium, & Titum Domitium, tum adhuc Consules.* Etenim hi Consules fuerunt Anno V.C. Tab. Cap. 721. Sed quo pacto Suetonius sensisse potuit, M. Antonium iam Reip. hostem declaratum, cuiq; omnis potestas fuerat ablata, hoc ipso, & subsequente anno integro, vsq; ad Actiacam Victoriam, vnà cum Augusto imperasse? *Dioni Coss. 722. Vide eiusd. lib. 50.*

CAP. CCII.

Plutar. in Vita M. Antonij.

Eosdem Imperij Augusti annos, à die cædis C. Iulij exordium sumere, vel hinc præterea patescere potest; quoniam, & Plutarchus annos Imperij M. Antonij, exinde his orditur: Ἐτελεύτησε Κλεοπάτρα ἑνὸς δέοντα τεσσαράκοντα ἔτη βιώσασα, καὶ τούτων δύο καὶ εἴκοσι βασιλεύσασα, συνάρξασα, (Antonio nimirum) δὲ πλείω τῶν δεκατεσσάρων. *Mortua est Cleopatra, vnde quadraginta annos nata; quorum duos & viginti regnauit, & amplius quam duodecim cum Antonio imperauit.* Idibus quippe Martijs Anno V.C. Tab. Cap. 709. cæsus est C. Iulius: atque indę anno 14. exacto, paucis dehinc mensibus, anno V. C. 723. desinente, Cleopatra obiit.

CAP. CCIII.

Georgius Pisida, magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, & Imp. Chartophylax, (qui scripsit anno Christi 630. & cui Fastos siculos, seu Græcos adscribendos opinor) Lepido & Planco Coss. primum annū (Monarchiæ) C. Iulij Cæsaris; & sextum (regni) Cleopatræ adscribit. Et incidit quidem hic horum Consulum Magistratus consularis, ab eo anno, quo C. Iul. Cæsar Cleopatræ, fratrique eius regnum Ægypti tribuit, in annum ritè sextum; & iuxta vulgares Consulum Fastos hic ipse Lepidi, Plancique Consulatus in annum ante Christum 42. incurrit; qui annus profectò annus primus est C. Iul. Cęsaris, post debellatum Pomp. Magnum, non tamen Lepido & Planco Coss. sed potius Cæsare secundùm, Dictatore. Hinc

Dioni Coss. V. C. 712. Vide eund. l. 47.

Paulus Diaconus Autor vetus, equè vetustâ, opinor, traditione, annum ab Incarnat. Dominica, 475. conijcit in annum 517. numero inito à C. Iulio Cæsare, qui primò singularem arripuerit principatum, Monarchiamq; primus condiderit: Ita vt annus ante Christum 42. sit annus primus C. Iulii Cæsaris Monarchiæ.

CAP. CCIV.

Vt autem velut in Synopsi quadam pateat, quæ nam suffectorum Consulum quinque paria, pro Ordinariis, inter obitum Augusti & Neronis in vulgares Consulum Fastos irrepserint; ideoque ex iisdem loco mouendi, atque inter præcedentis anni suffectos Consules sint collocandi; obseruandum; Ex Imperio Tiberii biennium illud, seu bina Consulum paria, quæ post Geminos Consules proximè consequantur, ex Ordinariorum Consulum numero, ac serie tollenda & eximenda: quippe cum Consules fuerint ipsissimo illo anno, quo iam Gemini Consules fuerant Ordinarii, suffecti tantum, & nequaquam Ordinarii: Marcus videlicet Viuitius Quartinus cum C. Cassio Longino; & Tiberius Cæsar Augustus quintùm, cum L. Ælio Seiano.

Dein, è Caii Caligulæ Imperio mouendus est è Fastis Consulum vulgaribus annus ille, qui Caio Augusto secundùm, & L. Apronio Cæsiano Coss. inscribitur: cùm anno potius præcedente, quo Tiberius obiit, Caius ipse Consul iterum, quanquam non Ordinarius, fuerit suffectus.

Postmodum ex Imperio Claudii, annus eximendus est ille, quo ipse Claudius Augustus iterum, & C. Licinius Cæcina Largus Consules signantur Ordinarii; cum anno proximo fuerint vnà Consules, & quidem suffecti duntaxat, minimè autem Ordinarii.

Demum ex Neronis Imperio, ipse primus annus, qui Neroni Augusto, & L. Antistio Veteri Consulibus assignatur, è Consulum Ordinariorum est adimendus numero: cum ipso anno priore, quo Tiberius obiit, Nero ipse Consul primùm fuerit suffectus non Ordinarius.

Itaque si hosce quinque annos, vel potius quinque Consulum paria, quæ inter Augusti obitum, & Neronis necem inter Ordinarios Consules perperam collocata

ſunt, ex iiſdem tollantur denuò, ac inter præcedentis anni quorumuis ſuffectos collocentur Conſules; rectè habent & habebunt Faſti Conſulum vulgares ab Auguſti, ac deinceps temporibus. Ita tamen, vt illis Faſtis, quos Onuphrius Panuinius concinnauit, V.C. 1029. ſeu anno Chriſti vulgari 277. omnimodis interſerendus ſit annus Probo Auguſto, & Anitio Paulino Coſſ. idque ex Faſtorum Græcorum autoritate, Caſſiodori, & libelluli de Præfectis Vrbi apud Cuſpinianum, & aliorum Autorum complurium: quem annum idem Onuphrius Panuinius, neſcio qua falſa ductus perſuaſione, perperam è Faſtis ſuſtulit; atque ita reliquos omnes Conſulatus Ordinarios ad initium vſque Neronis, anno vno tardius collocauit.

CAP. CCV.

Quare cum ex Dione, ac aliis conſtet perturbationis huius Chronologicæ annum eſſe V.C. Tab. Cap. 707. & annum eum proximè ſubſequentem, ſeu Primum Iulianum, eſſe annum V.C. Tab. Cap. 708. Sic iis, qui Faſtos Conſulum vulgares ſequuntur, annus item turbationis huius eſt annus ante Chriſtum natum 46. ſicq; annus communis, non intercalaris: annus etiam primus Iulianus iiſdem eſt annus ante Chriſtum 45. ſicque intercalaris: atq; vtrumque perperam falſoque.

At iis, qui annos Imperij priorum Imperatorum vulgares ſectantur; atque hinc non quinquennio, ſed integro redundant ſeptennio; illis, inquam, annus turbarum Chronologicarum eſt annus ante Chriſtum 48. Qui exinde dicitur annus primus Antiochenorum; eò quòd Antiocheni ex illo anno computationem ſuam inchoët, & eſt annus communis: annuſq; primus Iulianus ijſdem neceſſariò eſt annus proximus ante Chriſtum, ſcilicet 47. qui dicitur annus Laodicenorum: eò quod Laodiceni ex eo, tanquam primo anno Iuliano computationem ſuam ordi-

an-

antur Chronologicam: tametsi verò hic ipse annus sit cōmunis, non tamen est post intercalarem proximus: & verò item vtrimque perperam.

Tandem verò nobis, iuxta nouam hance nostrātem certamque, vti demonstramus, Chronologiam, annus turbarum harum Chronologicarum omnium, seu annus V. C. Tab. Cap. 707. ritè atque exactè est annus ante Christum 41. intercalaris; qui exsurgit, si annis diuinæ Incarnationis Constantinopolitanis præfixeris annos 38. Et annus primus Iulianus, nobis est annus ante Christum 40. annus communis, & quidem post intercalarem proximè subsequens, ad vnguem; qui quidem annus primus Iulianus verus, & genuinus inde enascitur, si annis Christi nati Constantinopolitanis, Veterisque Ecclesiæ (qui anni annos nostros Christi vulgares biennio toto præuertunt;) præfixeris annos 38. Atque hæc est vera, exactaque Aera, seu Era Cæsaris Hispanica, Cæsaris inquam, seu C. Iulij Cæsaris. Veteres siquidem Christiani, præsertim Græci, sed & Latini plurimi, à tempore Constantini Magni ad tempora vsque Caroli Magni, in annis Christi nati definiendis, secuti sunt morem & rationem Constantinopolitanum, ita vt quà de annis Christi nati, biennio ante vulgarem Christi Epocham inchoarint. Atque hinc regula illa orta est, quæ iubet, annis CHRISTI præfigere annos 38. vt habeantur anni Eræ Hispanicæ. Est verò hæc regula, quà de annis Christi nati, Constantinopolitanis verissima; hacque ratione, anni Eræ Hispanicæ consurgunt vnà cum vero & genuino anno primo Iuliano, seu ante CHRISTVM 40. & quidem ex die prima Ianuarij, perinde, vt omnes alij anni Iuliani.

CAP. CCVI.

Quin imò, ex hoc ipso, quod nimirum statuitur,

tur, annum primum Iulianum Antiochenis cadere in annum ante Christum 48. inde colligitur, re verâ primum Iulianum esse annum vulgarem Epocham CHRISTI, 40. Nam ex Antiochenorum constat calculo, eos in annis Christi, octennio minus numerare, quàm vulgares anni Christi præ se ferunt. Sin igitur annis Christi Antiochenis annos hosce ipsos 48. præfixeris, ritè sanè annum ante Christi Epocham vulgarem 40. produces pro anno primo Iuliano vero, ac primæuo.

Atque adeò ex Isidori Chronologia, quam præfigit libro Originum, seu Etymologiarum 5. cap. 39. seu postremo; sicut, & ex Chronico eius M S S. quod penes me est, planè patet, annos hosce 48. annis Christi vulgaribus haud esse præfigendos, sed potius annis Christi Antiochenis, qui vulgarem Christi Epocham octennio, & Epocham Christi nati veterem decennio toto subsequuntur. Atque hinc ibidem Isidorus, Anno Mundi 5149. initium Monarchiæ C. Iulii Cæsaris signat; tametsi alioquin ipsi Cæsari annos 5. Augusto 56. ac Tiberio 23; sicque hisce tribus annos 84. attribuat; nihilominus integro decennio citius, anno scilicet Mundi 5223. mortem Tiberii collocat.

Perinde etiam, vti in annis Antiochenorum anni illi 48. annis Christi vulgaribus perperam à posterioribus Autoribus sunt præfixi; sic & in Era Cæsaris Hispanica, anni illi, de quibus paulum supra egimus, 38. vitiosè item vulgaribus Christi annis iuncti sunt; cum debuissent potius annis nati Christi Constantinopolitanis præfigi.

CAP. CCVII.

Quod verò vera, genuina Era Cæsaris Hispanica antiquissima, re ipsâ, nil fuerit aliud, quàm ipsa series, ordoq; annorum Iulianorum; ita vt vna cum anno ante Christum 40. seu primo Iuliano, consurrexerit; huiusce rei non pauca, atque exigua, sed plura, & perillustria ad nos peruenêre vesti-

veſtigia. Etenim in primis annus Auguſti quartus, iuxta Chronicon Euſebij, & S. Hieronymi, ritè incidit in annum ante vulgarem Chriſti Epocham, 41. Atqui Io. Vaſæus Brugenſis in Annalium Hiſpaniæ Prolegomenis cap. 22. teſtatur; In Euſebij Chronico Alcabacienſi MSS. ſe in ipſo contextu hæc verba reperiſſe anno Auguſti quarto; *Hoc tempore, Auguſti Cæſaris edicto, æs in tributum, & cenſus dari iubetur, ex quo Aera collecta eſt.* Itaque primus huius Aeræ annus foret annus ante CHRISTVM natum 40. non 38.

2. S. Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis in Hiſtoria Gothorum anno 5. Valentis, qui eſt annus Chriſti vulgaris 368. ſignat Eram 408. Ergò. &c.

Quod autem Iſidorus ad annum Chriſti vulgarem 368. Valentisque 5. rectè initium regni Athanarici ſignet, etiam hinc probari poteſt; quia is, teſtimonio Iſidori, & Wiſigothorum Chronici regnauit annis 13. Atqui Itacius, ſeu Idacius Lamecenſis Gallætiæ Epiſcopus, qui tum floruit, ſcripſit Athanaricum iſthunc obiiſſe anno Theodoſij tertio, qui inchoatur die 17. Cal. Febr. anno Chriſti 381. Proinde, his 13. annis ex his Chriſti 381. ſubtractis, remanet ritè annus Chriſti 368. ante memoratus.

3. Idem Iſidorus ibidem, ſeptimum Theodoſij Iunioris annum, qui eſt annus Chriſti 414. conijcit in Eram 454. Ergò.

4. Etiam annum primum Martiani, qui inchoatur 5. Cal. Auguſti, anno Chriſti 450. locat ad Eram 490. Ergò.

5. Eiuſdem Martiani annum Imperij ſecundum, qui & ipſe 5. Cal Aug. ducit exordium, anno Chriſti 451. tribuit Eræ 491. Ergò.

6. Annum octauum Leonis, qui ritè inchoatur vnà cum 7. Cal. Febr. inchoante pariter anno vulgari CHRISTI 464. conijcit in Eram 504. Ergò.

7. Io. Vasæus, cuius paulo antèmeminimus, apud Isidorum in Gothorum Chronico legit; *Anno ante Eram constitutam duodecimo, pro accipiendo Reipublicæ Imperio, Cn. Pompeium, & C. Iulium Cæsarem arma ciuilia commouisse*. At verò in Chronico Eusebij anno 51. ante vulgarem Christi Epocham hæc insunt verba; *Principium belli ciuilis Cæsaris & Pompeij*. Abiectis igitur vndecim annis plenis ex annis ante Christum 51. remanet annus ante Christum 40. pro anno primo Eræ Cæsaris Hispanicæ.

8. Idem apud eundem Isidorum legit; Annum primum Valeriani & Gallieni (qui anno Christi 254. desinit) incidere in Eram 294. Ergò.

9. Idem Vasæus apud eundem Isid. legit. annum sextum Phocæ, qui est annus CHRISTI 608. esse Eram 648. Ergò.

10. Ille ipse Isidorus annum primum Theodosij minoris in Gothorum Historia (qui quidem Cal. Maij Anno Christi 409. desinit) collocat ad Eram 449. Ergò.

11. Ibidem Isidorus idem, Anno Arcadij & Honorij 14. qui est annus CHRISTI 406. signat Eram 446. Ergò.

12. Io. Abbas, & fundator monasterij Biclarensis ad radices Pyrenæi siti, & post Episcopus Gerundensis, qui ipso illo floruit tempore, anno tertio Iustini Iunioris (qui desinit Idibus Nouembris, desinente anno vulgari Christi 568.) in Chronico suo ait; *Regi Luiba germanus Leonegildus successit*: Et Isidorus, qui paulò post floruit, in Gothorum Chronico refert id contigisse Era 608. Ergò.

13. Ibidem tradit idem Isidorus; Leonegildum seu Levvegildum obijsse anno regni 18. Era 625. (ita n. haud dubiè pro 635. legendum) atq; Levvigildo successisse Reccaredum. Et verò Io. Biclarensis idem refert, annum quintũ Mauritij (qui Cal. Iulij anno vulgari Christi 585. desinit) esse

esse huius Recaredi annum primum. Proinde, si ex Era isthac 625. hosce annos Christi 585. subtraxeris, annus ante Christum 40. prodibit.

14. Idem Io. Biclarensis anno Mauritij Imp. tertio (qui Cal. Iulij, anno Christi 583. desiuit) ita habet, *Leonegildus Rex, ingentem thesaurum, & patriam Sueuorum in Gallecijs, suam in potestatem redigit, atque Gothorum Prouinciam facit.* Et Isidorus in Historia Sueuorum tradit, regnum Sueuorũ, quod inchoatum sit Era 497. à Levvigildo Gothorum Rege deletũ, inq; Gothos translatũ, cum durasset annis 126. Quare, si annis Christi 583. hosce annos 126. subtraxeris; remanebit superstes annus Christi 457. qui & ipse subtractus ex Era 497. offeret annum Christi 40.

CAP. CCVIII.

Porrò annorum Christi nati Constantinopolitanorum, & annorum Christi vulgarium permistio, confusioq; effecit, vt Paulus Orosius lib. 6. c. 22. & lib. 7. c. 3. anno V. C. 752. Christum esse natũ retulerit; vti sanè anno V. C. Tab. Cap. 752. desinente, iuxta quidem vulgares Consulum Fastos, Epocha Christi vulgaris exactè incidit. At idem Auctor lib. 2. c. 3. & rursus l. 7. c. 40. anno V. C. 1164. ferè, sicque anno Christi 412. ab Alarico Gotho Romam captam ponit; cùm id aliôquin euenerit anno vulgari Christi 410. & anno Christi nati Constantinopolitano 412.

Pari ratione Isidorus anno V. C. 5199. exacto, seu desinente, initium annorum Christi vulgarium signat; ideoque annum vltimum Cycli annorum 95. qui est annus Christi vulgaris 721. ipse in annum Mundi 5920. conijcit. Atqui Eusebij & S. Hieronymi Chronicon annos nati Christi Græcos, non annos Christi vulgares exacto anno Mundi 5199. inchoat.

CAP. CCIX.

Anno Christi vulgari 476. desinente seu vertente, 10.

Cal. Sept. Momyllo Orestis filio, cognomine Augustulo, successit in Romano Imperio Fl. Odoacer Herculus Rex Gothorum; Italiæ primus, Ergò annus Christi vulgaris 477. (qui est annus Iulianus, iuxta vulgares quidem Consulum Fastos, 522. sed verius, 517.) est annus Odoacris Regis Italicæ primus. Et sanè Marcellinus Comes, ac Tornandes Gothus Rauennas Episcopus, qui Iustiniani floruêre temporibus, initium Odoacris statuunt anno Imperatorum Romanorum 522. Quibus verbis vtique annos Iulianos iuxta Fastos Consulum vulgares supputatos accipiunt.

Etiam Paulus Diaconus, qui sub Carolo Magno floruit initium eiusdem Odoacris tribuit anno à Caio Cæsare, *qui primo singularem arripuit principatum* 517. Quibus verbis citra dubium annos quoque Iulianos intelligit; sed illos veros & genuinos, iuxta Fastos nostros Consulum castigatos, correctosq;. Siquidem ex his 517. si annos Christi vulgares 477. subtrahas; annus ante Christi quadragesimus primus Iulianus exactè remanet.

CAP. CCX.

Cùm igitur anni Iuliani κατὰ καλάχρησιν, seu abusionem aliquam prò annis Monarchiæ Romanę fuerint accepti; & prætere, anni Monarchiæ Romanæ pro annis Imperij Augusti ex fastis Consulum vulgaribus fuerint habiti: hinc minimè mirum, aliis, Anno Imperij Augusti 41. aliis anno 42. Christum incarnatum & natum esse, tradi: re verâ enim currente anno Iuliano 41. Christus & incarnatus & natus est; atque currente anno Monarchiæ Romanę 42. Christus incarnatus, eodemque illo anno exacto, est natus.

CAP. CCXI.

Annos Antiochenos re ipsa esse annos Iulianos, seu à primo anno Iuliano consurgentes, attamen iuxta Antiocheno-

chenorum calculum supputatos; etiam inde constat; quia ineunte anno Christi vulgari 115. Messala & Pedone Coss. in hyeme terræmotus Antiochiæ fuit celeberrimus; in quo, teste Dione, ipse Pedo tum Consul perijt. Atqui Euagrius Scholasticus, lib. 2. c. 12. *ὁ σεισμὸς*, ait, *ὁ κατὰ Τραϊανὸν, γέγονεν ἔνατον καὶ πεντηκοστὸν, καὶ ἑκατοστὸν χρηματιζούσης τῆς πόλεως ἔτος τῆς αὐτονομίας. Terræmotus ille, qui sub Traiano factus est, contigit, cùm Vrbs Antiochia iam 159. annis sui Iuris fuisset.* Ex his igitur annis Antiochenis 159. subrtahe plenos, exactosuè annos Christi vulgares 114: & annus ante vulgarem Epocham Christi, 45. prodibit: qui, iuxta vulgares Consulum Fastos annus est primus Iulianus.

CAP. CCXII.

Nec verò mirandum, Antiochenis posterioribus annum primum Iulianum, triennio citius notari & signari, quàm aliòqui Consulum vulgares Fasti annum eundem exhibeant. Id enim hinc necessariò accidit. quippe *τῆς θείας σαρκώσεως* anni Constantinopolitani, tribus annis, vt supra retulimus, annos Christi vulgares præueniunt, & anteuertunt. Atque hinc, quod consequi necesse est, item à Passione Christi subsequentes anni Constantinopolitani, tribus quoque annis, veros genuinosque illos à legitimo, veroque Passionis Christi tempore procurrētes, prævolant. Quamobrem cùm Antiocheni illos ante vulgarem Epocham Christi annos 45. præfigerent annis *τῆς θείας ἐνσαρκώσεως* Constantinopolitanis, necessariò annum ante vulgarem Christi Epocham 48. pro primo Iuliano anno acceperunt. Id quod perspicuè palamq; ex illo Euagrij loco colligitur. Ita enim refert: *ἀνὰ δεύτερον ἔτος Λέοντος τῆς βασιλείας σεισμὸς γέγονεν ἀνὰ τὴν Ἀντιόχου, ἕκτον καὶ πεντακοσιοστὸν ἔτος χρηματιζούσης τῆς πόλεως, περὶ τετάρτην ὥραν τῆς νυκτὸς, τετάρτην, καὶ δεκάτην ἡμέραν ἄγοντος Γορπιαίου μηνὸς, ὃν Σεπτέμβριον Ῥωμαῖοι προσαγορεύουσι κυρίας ἐπικαταλαβούσης ἡμέρας* Euagr. libr. 2. hist. Eccles. c. 12.

ρας, ἀνὰ τὴν ἑνδεκάτην ἐπινέμεσιν τοῦ κύκλου, ἐκτὸς τυγχάνειν ἱστορούμενος, ξ', καὶ μ', καὶ τριακοσίων διωχηκότων ἐνιαυτῶν, ἐξ ὅτου ὁ κατὰ Τραϊανὸν γέγονε. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἔνατον, καὶ πεντηκοστὸν καὶ ἑκατοστὸν ἀγούσης τῆς πόλεως ἔτος, τῆς αὐτονομίας, γέγονεν. ὁ δέ γε ἐπὶ Λέοντος, ἕκτον, καὶ πεντακοσιοστὸν, καὶ τοῖς φιλοπονήσασιν ἐκδέδοται.

Notandum, Euagrij trās lat. per omissionem duorum versuum, fœdè hic mutilam.

Secundo anno Imperij Leonis ingens terræmotus Antiochiæ accidit, anno sexto & quingentesimo, postea quam illa Vrbi nomen diuinitus sortita est, circa quartam horam noctis, decimo quarto die mensis Gorpiæi, quem Septembrem Romani vocant, Dominica ipsa die, Indictione vndecima, (quam tamen vt assequar, teneamque in hac mea Historia non laboro:) *trecentis quadraginta septem annis decursis ab eo terræmotu, qui sub Traiano fuit. Ille enim terræmotus anno centesimo quinquagesimo nono, post ciuitatem liberam suiq; iuris factam contigit. Hic autem, regnante Leone, sicut à Scriptoribus, qui eum accuratè persecuti sunt, commemoratur.* Anno igitur Christi vulgari 458. quo dies 14. Septemb. est Dominica, & quidem anno 2. Imperij Leonis, atque Indictione vndecima, Euagrius contigisse refert hunc alterum terræmotum anno Antiocheno 506. E quibus quidem annis, si subtrahas 48. qui sunt ante vulgarem CHRISTI Epocham, annus CHRISTI vulgaris 458. ritè superstes remanet. Falsò verò ac perperam ab initio anni vulgaris Christi 115. Pedone ac Messala Coss. vsque ad 14. hunc Septembris diem, anni Christi 458. Euagrius annos numerat 347. cum sint tantummodò 344.

CAP. CCXIII.

Eosdem Antiochenos annos esse ipsissimos Iulianos, etiam inde videre licet, quia Iuliani anni habent, tenentque menses: quanquam alijs tantummodo efferunt nominibus: vt cùm ex loco Euagrij adducto, tum ex Georgio Tarasij Patriarchæ Constantinopolitani Syncello animaduerti potest. Qui quidem Georgius de

anno

anno ante Christum 24. seu anno primo, ex quo Augustus Antonio cum Cleopatra victis, Ægyptum subegerat, & Olympias 189. celebrata est, hæc retulit; ἦν ὀλυμπιὰς ρπθ, ἥτις πρὸ ἓξ καλανδῶν Μαρτίων, κατὰ Ἀντιοχεῖς κδ. ἤχθη, δι' ἧς ἐπὶ τῶν ἰδίων ὅρων ἔστη ὁ ἐνιαυτός. *Erat, agebaturq; Olympias 189. quæ ante diem 6. Calend. Mart. secundum Antiochenos 24. acta est, per quam suis velut terminis annus constituitur.* Itaque Antiocheni diem intercalarem post diem 24. Peritij, qui Romanis est Februarius, interserunt, interijciuntque.

CAP. CCXIV.

Idem inde demonstro. Georgius Pisida testatur Antiochenos annos consurgere ex die 12. Artemisij, seu Maij: quo die Antiocheni anno illo, quo Christus est passus, Pentecosten esse celebratam opinabantur. Nam Maximi Monachi calculus Antiochenus testatur, Christum illis passum anno Christi vulgari 42. (quippe, vti supra etiam commonuimus, in annis Christi octo annis minus numerant, quàm nos vulgò annos Christi metimur:) Illoque anno decima quarta Luna signatur die 22. Martij, feria quinta; sicque dies 15. Nisan, seu sancta ac solennis dies Paschæ, à Iudæis translata est in diem proximè consequentem, feriam scilicet septimam seu 24. Martij. Ex hac igitur die ita inclusâ & conclusâ, rectè, ac necessariò dico, 50. est dies 12. Maij. Pentecostes verò diem, in ratione anni Iuliani, assumpsisse videntur Antiocheni potius, quàm Passionis: ob multas, variasque de die Paschæ opiniones & sententias.

CAP. CCXV.

Sed & Agathias Scholasticus, annos Iulianos in suis temporum interuallis vsurpat; quamquã eos alio insignit nomine; & planè noua, falsaué sententiâ, hos annos à primo Parthorum rege Arsace opinatur cõsurgere. Libro enim 2.

p. 60.

p. 60; Et lib. 4. pag. 129. refert; Anno quarto Alexandri Imp. Mammææ filij, Artaxarem primum Perſam, regnum Perſarum Parthis ereptum iniiſſe; Ab Alexandro verò Magno ad hunc Artaxarem numerat annos 538. (quippe ab Alexandri morte vſque ad Chriſtum vulgò annos olim numerabant 312.) Et Alexandri Magni annus quartus, eſt annus Chriſti 225. Et Alexandri quintus, ſeu primus Artaxaris, eſt annus ab Alexandro Magno 538. Idem Agathias à primo Arſace ad eundẽ Artaxarem annos numerat 270. Annis enim Chriſti 225. præfige annos 45. & prodibit annus 270. Iulianus videlicet, & quidem rectè ac ritè, iuxta vulgarium Conſularium Faſtorum notam.

CAP. CCXVI.

Etiam è Diodoro Siculo conſtare arbitror, circa Chriſti tempora, in annis Olympiadum, integro item quinquennio minus numeratum eſſe, ac computatum ab iis, qui annos Vrbis Romæ conditæ, ac rerum à Romanis geſtarum ſeriem ſunt ſecuti. Etenim anno V. C. Tab. Cap. 449. ob hanc cauſam numerat Siculus annum 1. Olympiadis 119. inchoantem videlicet; Et anno V. C. Tab. Cap. 662. numerat annum 1. Olympiadis 172. in autumno anni V. C. 662. deſinentem: cùm alioqui re verâ, annus ille V. C. 662. coincidat in annum ante Chriſtum 86. in cuius autumno deſinit annus 2. Olympiadis 173. & quidem plus ſeptennio.

Sic anno V. C. Tab. Cap. 694. quo C. Iulio Cæſari Conſuli decreta eſt Prouincia Gallia, numerat idem Diodorus annum 1. Olympiadis 180: cûm tamen, re ipſa hic annus V. C. Tab. Cap. 694. incidat in annum ante Chriſtum 54. in cuius autumno deſiuit, non annus 1. Olympiadis 180. ſed quinquennio plus, annus videlicet 2. Olympiadis 181. Quòd autem quinquennio minus tum numeratum fuerit à Siculo, & Hiſtoricis aliis, qui Faſtos Conſulum Roma-

nos

nos fuere secuti, id ex ipso Siculo clarius elucet. Is enim initio suæ Bibliothecę, finem sui Operis coniecit in annum Olympiadicum 730. seu annum 2. Olympiadis 183. qui re verâ incipit anno ante Christum 47. seu anno V. C. Tab. Cap. 701. Eoque ipso anno bellum Cæsaris Gallicum, prolato iam à Cæsare in Britanniam vsque Romano Imperio, cumprimis viguisse refert. Atqui V. C. Tab. Cap. 697. Cæsar nec dum in Britanniam trajecerat; & primùm anno V. C. 698 exigua æstatis parte superstite, in Britanniam transuectus quidem fuit Cæsar cum duabus duntaxat legionibus; sed propinqua die æquinoctij, nauibus infirmis, & conquassatis redijt: & non nisi demum anno V.C. Tab.Cap. 699. cum quinque legionibus traiecit in Britanniam; ac Cassiuellauno dedito, sub ipsum æquinoctii diem in continentem est reuectus. Est igitur annus V.C.Tab.Cap. 700. (quo iam à Cæsare in Britanniam prolatum fuerat Romanum Imperium, & bellum Gallicum efferbuerat) finis, terminusque Historiæ Siculi, atque re verâ proximus ante annum Olympiadicum 730. seu, annum 2. Olympiadis 183. Quod quidem in Siculo ἐναντιοφανὲς, vt & id, quod consequitur, quisquam hucusq; conciliare Criticus potuit.

CAP. CCXVII.

Iam verò altas radices egit circa hæc tempora, error iste quinquennij, vt idem, dehinc quinquennij duplicis, hoc est, integri decennij errorem introduxerit. Verissimum enim est, anno V. C. Tab.Cap. 705. desinente, debellatum fuisse à Cæsare Pompeium Magnum; atq;, quod consequitur, annum primum Imperij, seu Monarchiæ C. Iulij Cæsaris, coincidere anno V.C.Tab. Cap. 706. proximo. Æquè etiam verum certumque est illud, iuxta hanc nostram veram, accuratamque Chronologiæ rationem, hunc ipsum annum V. C. Tab. Cap. 706. seu Monarchiæ

Cæſaris primum, incidere in annum ante Chriſtum 42. quo initium capit annus 3. Olympiadis 184. Hæ, inquam, ambæ aſſertiones certæ ſunt & exploratæ. Veruntamen ex his ipſis in, & ex ſe quidem longè veriſſimis aſſertionibus, duplex tamen exortus eſt error, vterque à veritate integro diſſidens quinquennio: alter quidem retrorſus, alter verò antrorſus exorbitans. Cùm enim annus ille V.C. Tab. Cap. 706. idemque Monarchiæ Cæſaris primus, iuxta falſos quidem, ſed vulgares, & pro veris paſſim habitos Conſulum Faſtos, in annum ante Chriſtum natum 47. quinquennio citius incidat; hinc in Faſtis Græcis, quos vocant ſiculos, annus primus Cæſaris ſignatur anno 2. Olympiad. 183. adeoque toto quinquennio citius, quàm par eſt.

Contrà verò, cum annus ille ante Chriſtum 42. ſeu initium anni 3. Olympiadis 184. quod re ipſa in annum primum Monarchiæ Cæſaris incidit, iuxta eoſdem vulgares Conſulum Faſtos, incidat in Conſulatum Planci & Lepidi ſecundum, ſicque integro quinquennio tardius: hinc in illis ipſis Faſtis Græcis, ſeu ſiculis, annus primus Cæſaris conijcitur in hunc quoq; ipſum Conſulatum Planci & Lepidi ſecundum: adeoque pariter integro quinquennio ſerius, integroque decennio poſt annum 2. Olympiad. 183. Cùm alioqui nemo neſciat Cæſarem confoſſum fuiſſe idibus Martijs, iiſque Conſulibus, qui hos, de quibus agimus, Conſules præceſſerunt. Vſque adeò verum eſt id, quod vulgò ferri dicique ſolet, in rebus Chronologicis, vt in tota Matheſi, errorem quantumuis exiguum, magnam penè ſe familiæ turbam trahere.

CAP. CCXVIII.

Imò, in ipſa C. Iulij Cæſaris ætate definiendâ, idem quinquennii error irrepſit. Etenim Suetonius diſertis ſanè tradit verbis, Cæſarem ſexto & quinquageſimo ætatis anno diem ſuum obijſſe. Atqui Dio Caſſius Nicæus, refert,

fert, eo ipſo anno, ac tempore, quo Cæſar interijt, inter honores alios, ob partas ab eo victorias, tum decretum, additumq́; iſtuc; καὶ γυναιξὶν ὅσαις ἂν θελήσῃ συνεῖναι οἱ ἐτόλμησάν τινες ἐπιτρέψαι, ὅτι πολλαῖς, καὶ τότε ἔτι, καίπερ πεντηκοντούτης ὢν, ἐχρῆτο. Quem honorem, vt velo & ſipario dignum, ſub aulæis hiſce Græculis latere ſino. Integro itaq; quinquennio minorem ætatem Dio Cæſari, quàm Suetonius attribuit.

CAP. CCXIX.

Verùm aduerſus hæc, quæ ex Diodoro Siculo attulimus, opponi, obijciq́; poſſet id, quod ipſe Siculus operis ſui primordio, de hiſtoriarum ſuarum meta hiſcé aſſeuerat; μέχρι τῆς ἀρχῆς τοῦ συστάντος πολέμου ῥωμαίοις πρὸς κελτούς. *Vſq; ad initium belli illius, quod Romani cum Gallis geſſerunt.* Ac mox: εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ κελτικοῦ πολέμου, ἣν τελευτὴν πεποιήμεθα τῆς ἱστορίας. *Vſque ad initium*, ait, *belli Gallici, quod quidem belli Gallici primordium, nos finem fecimus Hiſtoriæ noſtræ.* Quibus ſanè verbis Siculus nequaquam tempus illud belli Gallici, quo id maximè efferbuerat, exarſeratq; patentius, potentiuſque, ſed ipſum duntaxat belli Gallici initium in annum 730. Olympiadicum, ſeu annum 2. Olympiadis 183. conijcere, atq; hiſtoriam ſuam ibidem finire videtur.

At, id eſſe falſum, vanumque, non modò ratio temporum conuincit, verùm ipſe etiam Siculus aliis oſtendit locis, ſe bellum hocce Gallicum tractare, atque adeò in hoc ipſo ſuo opere, debitoque aliôqui loco ac tempore, C. Cæſaris bellum quoq; Brittannicum non omittere. Libro enim quinto pag. 208. hæc habet; Γάϊος Καῖσαρ, ait, ὁ διὰ τὰς πράξεις ἐπονομασθεὶς θεὸς, πρῶτος ἐχειρώσατο τὴν νῆσον Βρεττανικὴν καλουμένην, καὶ τοὺς Βρεττανοὺς καταπολεμήσας ἠνάγκασε τελεῖν ὡρισμένους φόρους. ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων τὰς κατὰ μέρος πράξεις ἐν τοῖς οἰκείοις χρόνοις ἀναγράψομεν. *Caius Cæſar, qui ob res geſtas Diuus eſt cognominatus, primus ſubegit inſulã. Britanniam dictam, & expugnatis Britannis coegit pendere præſcriptum tributũ.*

Sed de his sigillatim acta ipsa suis temporibus scripto referemus. Et mox pag. 209. de Britannia tractans, subdit. ἀλλά, περὶ μὲν τῶν κατ' αὐτὴν νομίμων, καὶ τῶν ἄλλων ἰδιωμάτων τὰ κατὰ μέρος ἀναγράψομεν, ὅταν ἐπὶ τὴν Καίσαρος γενομένην στρατείαν εἰς Βρετανίαν παραγενηθῶμεν. *Verum de Insula huius legibus, & alijs, quæ propria ipsi sunt, sigillatim scribemus, quando Cæsaris exercitum, quam Britanniæ inuexit deuenerimus.* Cùm itaque Siculus in hoc ipso Bibliothecæ suæ opere, Britannicum Cæsaris bellum sigillatim, & quidem debito suoque loco ac tempore conscripserit; opus est, vt dicamus, hanc ipsius historiam in principio belli Gallici neqnaquam desiisse, sed potius, ad summum belli huius incrementum & fastigium pertigisse; cum anno demum huius Gallici belli decimo Cassiuellaunus dux deditionem Cæsari fecerit. His equidem rationibus adductus, in Siculi loco adducto, pro ἀρχῆς, & ἀρχὴν, intrepidè ἀκμῆς & ἀκμὴν apud eundem Auctorem repono. ἀκμὴ enim cuiusq; rei summa est acies, incrementũ, aut fastigiũ, & summus vigor, atq; feruor. Confirmatur porrò hæc nostra sententia, & emendatio ex illo Bibliothecæ Photij loco, pag. 51. vbi de Diodoro Siculo traditur, quod Historiam suam deduxerit, μέχρις ὅτου ῥωμαίοις πρὸς κελτοὺς ὁ πόλεμος συνερράγη, καθ' ὃν ἡγούμενος γάϊος ἰούλιος καῖσαρ ἐκράτησε μὲν τῶν πλείστων, καὶ μαχίμων παρὰ κελτοῖς ἐθνῶν τῷ πολέμῳ. προεβίβασε δὲ τὴν ἡγεμονίαν τῆς Ῥώμης μέχρι τῶν βρεττανικῶν νήσων, ἐν οἷς (subjugatione videlicet Britannicarum Insularum perfecta;) καὶ ἱστορία τελευτᾷ. scripsit itaque Siculus μέχρι τῆς ἀκμῆς, seu εἰς τὴν ἀκμὴν τοῦ πολέμου κελτικοῦ, seu, vt Photius loquitur, μέχρις ὅτου ὁ πόλεμος κελτικὸς συνερράγη, in id vsque tempus, quo bellum Gallicum in summo erat ardore. Ita loquitur etiam Plutarchus in Alexandro; πότου συρραγέντος, *feruente, inquit, conuiuio, seu compotatione.*

Ac sanè iuxta hanc nostram recentem Chronologiam sum-

summum huiusce fastigium, exacto nimirum anno illius octauo, incidit in annum V.C. Tab. Cap. 702. & Olympiadicum 730. Et à Troiâ captâ, vti numerat Siculus, 1138. His enim annis subiunge annos 45. vsque ad vulgarē Christi Epocham; & existet annus Olympiadicus 775.

Ita, vt hoc quoque argumento Chronologia hæc nostra firmetur egregie. De hoc autem monere, operæ precium duxi: hic enim nodus mentem dubiam diu torsit.

CAP. CCXX.

Quòd in Fastis Consulum vulgaribus ab Augusti morte ad initium vsque Vespasiani quinque anni redundent, id disertè asserit Damis Socius, & Comes Apollonij Tyanei, qui eo ipso tempore & vixit & floruit, ita vt eidem fides adhibeatur tutius. Philostratus enim in vita Apollonij lib. 5. ex Damide hæc deprompsit; Οὐεσπασιανοῦ τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν περινοοῦντος, περὶ τὰ ὅμορα τῇ Αἰγύπτῳ ἔθνη Δίωνες μὲν καὶ Εὐφράτης χαίρειν παρεκελεύοντο, μετὰ γὰρ τὸν πρῶτον αὐτοκράτορα, ὑφ᾽ οὗ τὰ Ῥωμαίων διεκοσμήθη, τυραννίδες οὕτω χαλεπαὶ ἴσχυσαν ἐπὶ πεντήκοντα ἔτη, ὡς μήδε Κλαύδιον τὰ μέσα τούτων τρισκαίδεκα ἄρχοντα, χρηστὸν δόξαι, καί τοι πεντηκοντούτης μὲν ἐς τὸ ἄρχειν παρῆλθεν, ὅτε νοῦς μάλιστα ὑγιαίνει ἀνθρώπων. *Cùm Vespasianus Imperium affectaret apud gentes Ægypto finitimas, & in Ægyptum procederet, Dion & Euphrates latari iusseruut. Nam post primum Imperatorem, à quo res Romana in ordinem est redacta, & exornata (Augustum videlicet) Tyrannides adeò Saua rerum potiebantur, in annos vsq; quinquaginta; vt nec Claudius, qui hoc interiecto spatio per annos tredecim imperauit, inter bonos censendus sit, etsi quinquagenarius imperare cœperit, quando ingenium hominum maximè viget.* Itaque ab Augusti morte, quæ mihi signatur & notatur anno vulgari Christi 19. die 14. Cal. Sept. vsque ad initium Vespasiani, hoc est, Cal. Iulij. Anni Christi 69. ritè, ac exactè non nisi 50. annos numerat Auctor ille; cùm vulgares Consulum Fasti 55. an-

nos exhibeant. Præterea, rectè quoq; idem Autor, vti & Suetonius apud Ausonium, & Michelus Glycas in Annalibus Imperio Claudij non nisi annos 13. adscribunt. Quo quidem argumento gemino, hæc nostra Chronologia lucis non parum & firmamenti capit.

CAP. CCXXI.

Fastos Consulum vulgares ab Augusti morte ad Neronis vsque cædem redundare; (inculcandum enim id sæpius, pro argumentorum ratione:) etiam ex Seneca Philosopho, teste luculentissimo; quippe qui tum vixit, floruitque, confirmare licet. Etenim Seneca, cum ipsius autoritas, Anno Christi 62. infringeretur, anno 63. in Campaniam secessit; atque anno Christi 65. Silio-Nerua, & Attico Vestino Consulibus, cùm è Campania remearet, ad voluntariam mortem, teste Tacito, à Nerone, alumno sanè scito, gratoq;, est adactus. Epistolas igitur anno Christi 63. vel certè 64. in Campania de contemnenda morte scripsit, & Lucilio, sibi amicissimo transmisit. In his autem Epistolis lib. 14. Ep. 92. de Eubutio Liberale Lugdunensi hæc disertè ad eundem Lucilium; *Liberalis noster nunc tristis est, nuntiato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est.* Et nonnihil dehinc subdit: *Huic coloniæ ab origine sua centesimus annus est, à Planco deducta, in hanc frequentiam loci opportunitate conualuit.* Hæc Seneca. Atqui Dio, desinente illo anno, quo Hirtius & Pansa Consules Ordinarij fuerunt; (sicq; mihi, desinēte anno ante Christum 38.) expresse refert deductam: Lepidus, ait, & Plancus Lugdunum ἔκτισαν; *ædificarunt.* Quamobrem, anni ante Christum 37. cum annis post Christum 63. iuncti, exactè annos centum conficiunt.

CAP. CCXXII.

Idem quinquennij Chronologici error conuincitur è Pliniano opere; scripsit enim suum opus, Vespasiano octauum, & Tito Coss. Augg. Anno, vti ipse etiā numerat V. C.

830.

830.anno verò Christi vulgari,77. Et lib.14.c.1. *Hæc*,inquit, *Virgilij Vatis ætate incognita; à cuius obitu 90.aguntur anni.* Obijt autem Virgilius ante diem 10. Cal. Octob. Sentio & Saturnino Coss.sicq;, mihi, meæq; Chronologiæ, desinẽte anno ante Christum 14. (atqui iuxta vulgares Consulum Fastos anno 19.) Quare, si cum annis post Christum 77. iungas illos ante Christum annos 13. prodibunt anni 90. ad modum nostratis huius Chronologiæ; cùm vulgares aliòqui Consulum Fasti, quinquennio plus statuant.

CAP. CCXXIII.

A morte Drusi, ad annum vsq; Christi 58. similiter redundare quinquennium in Fastis Consularibus,ex traditione Taciti,palàm licet deprehẽdere. Is enim,anno V. C. quẽadmodum ipse etiam numerat, 811. Nerone Augusto tertium, & Valerio Messalâ Coss: sicq; anno Christi 58; *Paulinus*, inquit, *Pompeius, inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem coercendo Rheno absoluit.* Obiit autem Drusus,se,& Crispino Coss.ineunte anno, sicq; mihi anno item ineunte ante Christum 4. iuxta verò vulgares Coss. Fastos, anno ante Christum 9. Proinde si annis ante Christum 5. iunxeris annos post Christum 58. anni illi 63. ritè prodibunt: vti necessarium plane sit,in Fastis Coss.vulgaribus quinquennium ipsum superesse.

CAP. CCXXIV.

Ab eo etiam tempore, quo recepti Cherusci,ad annum vsque Christi 58. quinquennium item in Fastis redundare Consularibus vulgaribus, ex eodẽ Tacito comprobari potest. *Aderat*, ait, *Ansibarijs clarus per illas gentes, & nobis quoq; fidus,nomine Boiocalus,vinctum se rebellione Cheruscâ iussu Arminij, referens: mox Tiberio & Germanico Ducibus stipẽdia meruisse; quinquaginta annorũ obsequia,scilic.sua referẽs.* hæc Tacitus. Atqui ex Velleio cõstat Paterculo, Ælio Cato,&Sentio Saturn.Coss.

mihi

mihi verò, seu meæ Chronologiæ, anno Christi 9. sed vulgaribus Consulum Fastis anno Christi 4. Tiberium ab Augusto adoptatum protinus intrasse Germaniam, & tum Cheruscos recepisse. Proinde, ab anno Christi 9. in annum 58. colliguntur ritè anni 50. obsequiorum Boiocali; At ab Anno Christi 4. in 58. conflantur porrò anni 55. vel certè 54.

CAP. CCXXV.

Supra Cap. 145. Matheseos calculo infallibili exactè, opinor, demonstrauimus, currente anno ante Christum natum 38. siue à C. Iulij Cæsaris cæde anno Imperij Augusti 2. Antiochenorum anno 11. Indictione item 11. insignem illam, & à compluribus Autoribus celebratam. Solis eclipsin contigisse. Quod ipsum è vetustissima illa Fastorum Græcorum Chronologia, in annum Christi 630. vsque deductâ, (quam nos primùm, vti supra innuimus, Georgio Pisidæ magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono, & Chartophylaci, seu Cancellario, ex his, quæ Suidas de eo tradit, inscribimus) comprobari potest. Anno enim à cæde C. Iulij Cæsaris altero; &, quod consequitur, Imperij Octauiani Augusti secundo, ex traditione vsque vetustissima, signat; Ἔκλειψις ἡλίου ἐγένετο. Et rursus anno Antiochenorum 11. at indictione item 11; sicq; ipso illo ante natum Christum anno 38. notat, annot atque alteram Eclipsin; Ἔκλειψις ἡλίου ἐγένετο: *Eclipsis Solis contigit.*

Itaque etiam hoc argumento, Chronologia hæc nostrâ, ex Autore hoc nobili & vetusto luculenter comprobatur; quinquennij verò error (quo de, toties iure quiritor) qui in vulgares Fastos Consulares irrepsit, eliminatur: cùm iuxta istos, annus à cæde Cæsaris secundus, non in 38. sed in annum ante Christum 43. coincidat.

CAP. CCXXVI.

Idem quinquennij error deprehenditur, reprehenditur-

turque, nostra verò Chronologica ratio firmatur, ab anno ante Christum 38. in annum vsque Christi 82. ex Aucto- *Clemēs lib. 1. Stromat.* re vetustissimo, quem Clemens Alexandrinus, & ipse alioquin vetus, illustrisque allegat pag. 146. Εὐπόλεμος ἐν τῇ ὁμοίᾳ πραγματείᾳ, τὰ πάντα ἔτη φησὶν ἀπὸ Ἀδὰμ, ἄχρι τοῦ πέμπτου ἔτους Δημητρίου βασιλείας, Πτολεμαίου τὸ δωδέκατον βασιλεύοντος Αἰγύπτου, συνάγεσθαι ἔτη ͵εμθ΄. ἀφ' οὗ δὲ χρόνου ἐξήγαγε Μωϋσῆς τοὺς Ἰουδαίους ἐξ Αἰγύπτου, ἐπὶ τὴν προειρημένην προθεσμίαν, συνάγεσθαι ἔτη δισχίλια, πεντακόσια, ὀγδοήκοντα. ἀπὸ δὲ τοῦ χρόνου τούτου ἄχρι τῶν ἐν Ῥώμῃ ὑπάτων, Καίσαρος (ita legendum, pro Γαΐου) Δομετιανοῦ, καὶ Σαβίνου (ita item hîc legendum & reponendum, pro Κασιανοῦ) συναθροίζεται ἔτη ἑκατὸν εἴκοσι. *Eupolemus*, inquit, *in simili opere dicit omnes annos ab Adam vsq., ad quintum annũ regni Demetrij, & 12. Ptolemai regis Ægypti, colligi annos quinquies mille, centum, quadraginta nouem. A quo autem tempore Moyses Iudaeos eduxit ex Ægypto vsq. ad pradictum tempus, colligi annos bis mille quingentos, octoginta. Ab hoc autem tempore vsque ad Consules Roma Casarem Domitianum, & Sabinum colliguntur anni centum viginti.*

CAP. CCXXVII.

Idem huius quinquennij horum temporum in Fastis Consularibus, vulgaribusque, error, notatur etiam ex ipso primo annorum Ægyptiacorum fixorum anno, atque adeò ex ipsa quoque die, seu initio annorum illorum, in die 29. Augusti fixo. Tradit enim Dio, Anno V. C. Tab. Cap. 723. quo desinente, M. Antonius & Cleopatra interiere; atque ex Idibus Septemb. Ciceronis filius Consul suffectus fuit; sicque nobis, seu nostrae Chronologiae, anno ante Christum 25. (vulgò verò, ante Christum 30: τεθνεῶτα τὸν Ἀντώνιον ἠγγέλθη, Κικέρωνος τοῦ Κικέρωνος παιδὸς ἐν μέρει *Dio Coss li. 51. pag 525 B.* τοῦ ἔτους ὑπατεύοντος. *Nuntiatum est* (Romae nimirum) *Antonium fato functum eo anno, in cuius aliqua parte Cicero Ciceronis filius Consulatum gessit.* subiungit mox Dio; τήν τε ἡμέραν ἐν

ᾗ ἡ Ἀλεξάνδρεια ἑάλω, ἀγαθήν τι εἶναι, καὶ ἐς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτὴν νομίζεσθαι. *Diem, quâ capta fuit Alexandria, festam, seu faustam esse censuerunt, ab eoq; die reliquis annis numerandis initiũ sumi.* Et sanè in Calendario Augusti, pridie huius diei, hoc est die 28. Augusti, signatur figiturq; nota N P. hoc est, *Nefastus præliaris*; vti ego quidem interpretor. Ibidem.n.causa ponitur & apponitur. *Hoc die ara Victoriæ in Curiâ dedicata est*; quòd videlicet Augustus eâ die vicerit; atque hinc, lustro tertio, seu anno 15 currente, eâdem die Vindelicos quoq; debellauerit, vti Horatius non præterijt. Die verò subsequente 29. scilicet Augusti, Victor Alexandriam fuerit ingressus. Nec enim ab Orosio, & Paulo Diacono stare libet, licetque; qui hoc ad Calendas, referunt, retrahuntq; Augusti; qua die nec anni hujus, nec reliquorum annorum initium est constitutum. Hinc, in inscriptione Veteri; Sexto Erutio Claro secundùm, & Cn. Claudio Seuero Coss. sicque anno Christi 145. pridie Non: Maij; seu dies 6. Maij Alexandrinis dicitur dies 11. Pachon, quod videlicet dies prima mensis Thoth cadat in 29. Augusti. Atqui annus Ægyptiorum æquabilis, atq; vagus, dierum 365. omni intercalatione carens, anno demum ante Christum 25.24.23. & 22. primam diem mensis Thoth, sicque initium anni, conijcit in 4. Calen. Sept. seu 29. Augusti. Quin & annus Ægyptiorum fixus inchoatur, vt dicitur, ad punctum illa ipsa 29. Augusti die; adeò vt, quod necessariò consequitur, quarto quouis anno, ob idipsum, dies 28. Augusti proximè consequens intercaletur.

Et verò ipsa quoq; series, ac ordo fixorum annorum Ægyptiorum, ritè, ac velut ad momentũ, capit initium ab anno ante Christum 25. desinente, 29. scilicet Augusti anni eiusdem, ita vt annus 15. V. C. Tab. Cap. 723. quo interiit Antonius, iuxta nostram Chronologiam huic anno ante Christum 25. planissimè competat, atq; ad vnguẽ quadret.

Quod

Quod verò annorum Ægyptiacorum fixorum, seu ad rationem, normamq; anni Iuliani redactorum series initiũ sumat à 29. Augusti, anno ante Christum 25. currente atq; desinente, id sequentium Auctorum probatum imus testimonio, constantique doctrina.

Theo enim Alexandrinus, in libello suo M S. qui in percelebri Bauarica prostat Bibliotheca, & εἰς τοὺς προχείρους κανόνας τῆς ἀστρονομίας inscribitur, iuxta tam Græcos, quàm Alexandrinos, qui suos annos Iulianos à prima die Septembris (quam primam diem mensis Thoth nominant) numerare solent, à Mundi initio ad Epochã vsq; Nobonassari, statuit 4761: Et quidem verissimè. Superadditis enim annis 747. quibus Nabonassari Epocha, Christi Epocham præcedit: conflantur anni mundi 5508. qui Christi Epocham præcurrunt. Consurgit autem hæc Nobonassari Epocha à prima die Thoth, seu 26. Febr. anno ante Christum 747; sicq; ritè prorsus & exactè ante Christi Epocham retrorsus, annis Ægyptijs 747. diebus $130\frac{1}{2}$. vti è Cl. Ptolemæo Io. Regiomontanus in magnæ construct. Ptolemæi demonstrat Epitome, lib. scilicet 3. Propos. 21. quem sequuntur Nicolaus Copernicus, & Tabulæ Prutenicæ.

Atque idem Theo Alexandrinus in eôdem libello suo M S. ab Epocha Nobonassari ad Alexandri Magni mortem, 424. atq; hinc, εἰς τὴν ἀποκατάστασιν, seu in Ægyptiacorũ annorum, (qui à 29. Aug. auspicium capiunt:) reuolutionem, instaurationemque, 299: sicq; ab Epocha Nabonassari vniuersim 723. annos Ægyptios æquales numerat: Quibus subtractis ex annis Ægyptiis 747. diebus præterea $130\frac{1}{2}$. relinquitur, annorum Ægyptiorum τῆς ἀποκαταστάσεως Epocha. Ægyptiorũ annorũ 24. dierum $130\frac{1}{2}$. ante Christi Epochã; & quod cõsequitur, ante Christũ 25. desinente.

Etiam Theodorus Metochites in libello τῆς ἀστρονομικῆς καὶ ἐπιτομὴν στοιχειώσεως, qui & ipse libellus inter M.S.S. extat

Bibliothecæ Bauaricæ) ab Alexandri Magni morte, ſeu Epocha Philippi Aridæi, iuxta Theonem annorum Ægyptiacorum ex 29. Auguſti in ἀποκαταστάσεων conſurgentium, conſignat annos 299. Atque hinc, in diem 6. Octobris (à meridie ſcilicet in meridiem calculatione facta) anno Mundi 6792. (Chriſti verò 1284.) exactè annos Ægyptios 1309. numerat.

Michael Pſellus, Senator, qui ſub Diogene Romano, Imp. Conſtantinopolitano, Præceptor Michaelis Conſtantini Ducæ filij fuit, libellum cònſcripſit, hoc titulo; Ευσύνοπτον σύντομα, ſeu ἄθροισις ἐυσύνοπτος. εἰς τὰς τέσσαρας μαθηματικὰς ἐπιστήμας. In quo diſertè ſanè refert, ψηφοφορίαν, ſeu calculum Ægyptiorum exſurgere annis ſingulis ex die 29. Auguſti, quæ ipſis prima ſit menſis Thoth; Annoque Mundi, iuxta Græcorum ſupputationem, 6516. (qui eſt annus vulgaris ab Epocha Chriſti 1008.) inque hoc calculo diem intercalarem occurrere 258. Quare ſi ex quater 258. ſeu, ex 1032. ſubtrahas annos Chriſti 1008. relinquũtur reſidui, plenique anni ante Chriſtum 24. Ita, vt hic calculus exordium capiat à die 29. Auguſti deſinente, anno ante Chriſtum 25. tametſi Pſellus perperam alioqui putat, eundem hunc calculum à tempore Philippi Aridæi procurrere.

Albategnius hanc eandem Ægyptiorum annorum reuolutionem, vocat Epocham Alkept Fixæ, eamq; tradit, annis 287. poſteriorem eſſe illa Epocha Adhilcarnain, ſiue Magni Alexandri. Eſt verò Alexandri Magni Epocha, deſinente ante Chriſtum anno 312. E quibus annis ſi ſubtrahas illos 287. ſuperſtes eſt hæc Epocha Alkept Fixæ, in anno deſinente ante Chriſtum 25.

Iulius Firmicus Maternus, qui anno Chriſti circiter 356. ad Proconſulem Mauortium libros ſuos Aſtronomicos ſcripſit; hac item Ægyptiorum annorum 1461. reuolutione

tione, qui quidem efficiunt 1460. annos fixos Ægyptiacos, ad rationẽ anni Iuliani redactos; perperam planè, falsoque sensit, omnes Planetarum cursus redintegrari. Nec multò melius opinati sunt Ægyptij; cum cernerent, rationem lunę huic annorum periodo minime quadrare, ductis, scilicet hisce annis 1461. in annos 25. Ægyptios æquabiles, seu reuolutionem Lunarem; exinde, annum magnum, annorum 36525. confinxerunt.

Vocatur verò hæc 1461. Ægyptiorum annorum æqualium reuolutio, etiam Periodus Sothiaca, apud Clementem lib. 1. Stromat. Idem sentit Censorinus. Perperam enim, Iosephus Scaliger in Isagogicis suis pag. 270. Periodi huius Sothicæ appellatione Errationem, seu diuagationem intelligit Isidis, qua quidem totum mundum peregrarit. Cæterùm annus Sothiacus initium sumit ab eo die; quâ Sol primam Leonis partem obtinere creditur, die videlicet 18. vel certè, aliorum sententia, 25. Iulij: Ita videlicet, vt die præcedente, hoc est, 24. Iulij, quæ iuxta annum Ægyptiacum fixum, est dies 30. Epichi, putetur in Mundi creatione fuisse Nouilunium. Vnde Plutarch. de Iside, refert, Ægyptios die illa 30. Epiphi celebrare festum Oculorum (Solis scilicet ac Lunæ) Hori, quod illa die Sol & Luna in vnam lineam commeent, perinde, vt in Calendario Constantini Magni, pridie diei 29. Augusti, seu primæ diei mensis Thoth, signatur notaturque festum Solis & Lunæ, ac circensium missus 24. pro numero nimirum vtriusque Planetæ Principis mensium, quibus suos cursus vterque conficit.

CAP. CCXXVIII.

Nec verò hîc officit, quòd Cl. Ptolemæus, quem plerique sequuntur, initium Monarchiæ Augusti, annis 718. Ægyptiis ab Epocha Nabonassari deinceps, sicq; desinente anno ante Christum 30. integro, scilicet quinquennio

item citius, cum vulgaribus Consulum Fastis locat. Falsum enim, ficticiumq; id esse initium Monarchiæ Augusti, vel inde apparet: quippe surgit, exsurgitq; ex meridie diei vltimæ Augusti (subtractis nimirum 718. annis Ægyptijs, ex 747. annis item Ægyptijs ac diebus 130 $\frac{1}{2}$. non autem ex die 29. Augusti, seu prima die mensis Thot fixi.

Quod absurdum illi etiam Veteres, qui vel ex primis Fastos Consulū vulgares sunt secuti, obseruarunt; ac præterea Iulianum annum primum, iuxta eosdem Fastos in annum ante Epocham Christi 45. intercalarem viderunt incidere. Cùm igitur anno quouis quarto intercalationem fieri demandasset C. Iulius Cæsar, quod hinc consequitur, censuerunt, etiam anno ante Christum 45. primo Iuliano, ab ipso Iulio Cæs. atq; anno ab hinc tertio, eò quòd quartus esset Iulianus, à Pontificibus rursus intercalatum fuisse; vnde fabellam illam effinxerunt; quasi verò, post annum V.C.Tab.Cap. 708. qui primus Iulianus fuit annus, vti supra suis inculcauimus locis, in annis 36. subsequentibus, & sic ad annum vsq; V.C.Tab.Cap. 744. Pontifices duodecies, tertio quouis nimirū anno, & hinc, ter amplius iusto intercalarint: atq; exinde, anno proximè consequēte, C. Martio Censorino, & C. Asinio Gallo Coss. (quo anno mensis Sextilis, Censorino teste, in honorem Augusti, nomen Augusti obtinuit) Augustus item statuerit, vt in annis 12. sequentibus nullus penitus intercalationis vsus esset.

Atq; hac ratione, anno ante Christum 30. currente, dies prima Thot anni Ægyptij vagi, coincideret quidem in diē 29. Augusti Pontificalem; non tamen exinde iuxta anni Iuliani rationem annorum series exsurgeret. Nihilominus tamen Suetonius, qui, teste Suida, de Anno Romano libellum scripsit, refert; Sextilem mensem, ab Augusto, qui annum Iulianum ad pristinam redegisset rationem, priore posito nomen Augusti hausisse. Quanquam Censori-

nus

nus censet, id non ab Augusto, sed potius ex Senatus Consulto factum. Certe Macrobius Saturn. l. 1. c. 12. huius ipsius S. C. verba ipsa recenset. Error igitur ille horum temporum quinquennij, communis & peruagatus, coëgisse videtur hosce Autores confugere ac diuertere ad hanc fictioné erroris Pontificum, tertio quouis anno intercalantium; quam non tangit modò, sed tenet etiam C. Plin. l. 18. c. 25. Sueton. in vita Augusti cap. 31. Solinus c. 3. & Macrob. Saturn. l. c. 14. eiusdem sunt sensus & sententiæ.

Verùm, iuxta hancce nostratem Chronologiam recentem, nulla opus fabulosa eiuscemodi fictione: tota quippe anni Iuliani ratio, ab ipso sui primordio, vti supra satis demonstratum arbitror, plena est & perspicua.

CAP. CCXXIX.

Id etiam illinc elucet; quippe primùm post Augusti primam victoriam initia anni Ægyptiaci vagi, pro ratione scilicet illa, quod prima dies Thoth anno ante Christum 25. demum incidat in 29. Augusti, retrorsum acta, & ad ipsos annos Iulianos, aliosque vsque ad Epocham Nabonassari est supputata tum à Cl. Ptolemæo, tum ab alijs eiusdē vestigia tenentibus. Antequam enim hac insigni Victoria Octauiani Augusti Antonius & Cleopatra interijssent; alia sanè primordia Ægyptij anni vagi fuêre, quàm ea, quæ Ptolemæi præfert, ponitque ratio; vti ex his, quæ L. Taruntius Firmanus, teste tradit Plutarcho, planè constat.

CAP. CCXXX.

Præterea, inter Augusti, ac Domitiani ludos seculares, Consulum vulgares Fastos integro item redundare quinquennio, vel hac probari potest ratione. Augustus ludos seculares hosce peregit, celebrauitque; anno V. C. Tab. Cap. 736. C. Furnio & C. Iunio Silano Coss. mihi verò, hac ratione, anno ante Christum 12. (quanquam iuxta vulgares Coss. Fastos, 17.)

Au

At Domitianus eosdem egit ludos Tribunitiæ suæ potestatis anno 8. cùm 14. gereret Consulatum; & quod sequi necesse est, anno Christi 88. Proinde, si annos illos ante Christum 12. cum annis post Christum 88. iungas, ritè seculum seu annorum prodibit centuria.

Quod verò Domitianus in secularibus suis ludis, ratione ludorum secularium Augusti, seculi tempus ritè rigideque obseruarit, disertè id attestantur cum Suetonius, tum Zosimus. Suetonij sententia est: *Domitianus fecit & Ludos seculares, computata ratione temporũ, non ab anno quo Claudius, sed olim Augustus ediderat.* Zosimus verò Comes hæc habet: *μετὰ δὲ τὸν Σεβαστὸν Κλαύδιος ἤγαγε τὴν ἑορτὴν, οὐ φυλάξας τὸν τῶν ὡρισμένων ἐτῶν ἀριθμόν. μεθ' ὃν Δομετιανὸς, τὸν Κλαύδιον παραπεμψάμενος, καὶ τὴν περίοδον τῶν ἐτῶν, ἀφ' οὗ τὴν ἑορτὴν ὁ Σεβαστὸς ἐπετέλεσεν, ἀριθμήσας, ἔδοξε τὸν ἐξ ἀρχῆς παραδοθέντα φυλάττειν θεσμόν. Post Augustum Claudius hos ludos celebrauit, numero præstitutorum annorum neglecto. Post Claudium Domitianus, Claudio valere iusso, numeratoq; annorum ambitu ex quo ludos hosce Augustus fecisset, traditam ab initio legem obseruare visus est.* Ita quidem Zosimus.

At iuxta vulgares Consulum Fastos, Ludi seculares Augusti incidunt in annum ante Christum 17. Et Domitiani, in annum Christi 88. qui iuncti efficiunt annos 105. Verùm id huic ludorum secularium interuallo legitimo nulla ratione potest congruere. Hunc durum sanè nodum cum videret Ios. Scaliger, in hanc prorupit vocem; *Differentia Ludorum Augusti & Domitiani anni 104. In hoc ergò, nullam aliam causam, præter animi sui libidinem, secutus est Domitianus.* Hoc itaque luculentissimo argumento nostra ista hæc χρονολογικὰ velut nitido aliquo approbantur calculo & suffragio; Consulum autem vulgares Fasti, velut alio aliquo notantur lapillulo.

Nec impediat hoc loco id, quod dici forsan & opponi pos-

possset; à prioribus illis ludis ad proximè subsequentes ludos sęculares non sufficere centum annos, vtroque nimirū anno extremo incluso; sed solos annos 98. interiectos videri. Non, inquam, turbet istuc. Solent quippe Autores in designando temporis numero, vtrumque annum extremum includere. Quanquam Censorinus id non obseruat. Vlpio, & Pontiano Coss. anno Christi 238. *ab hinc*, inquit, *annos centum Antonino Pio Aug. secundùm, & Brutio Præsente Coss.* (anno scilicet 139: à quo anno ad 238. soli etiam 98. anni comparent interiecti. At loqui, & numerare solet priore modo Zosimus: *A Consulatu*, ait, *Chilonis & Libonis*, (sicque anno Christi 204.) *quo Seuerus Ludos seculares exhibuit; donec Diocletianus nonùm, & Maximinus octauùm Consules facti sunt;* (sicque anno Christi 304.) *centum & vnus anni elapsi fuerunt:* (vtroque scilicet anno extremo incluso) *ac tum quidem priuatus ex Imperatore Diocletianus factus est, cuius exemplum Maximianus est secutus. Verùm Constantino & Licinio tertiùm Coss.* (anno nimirum Christi 313.) *centum & decem annorum spatium completum fuit,* (vtroq; videlicet extremo anno pariter incluso:) *quo iam ludos consueto more celebratos oportuit.* Hæc Zozimus, qui & hoc extremo loco, vt & alibi passim non tam Constantinianarum rerum historicum, quam Criticum agit ac Censorem, vel potius calumniatorem. Adeò male habuit Zoilum Zosimum, quod res & Resp. Christiana hoc sub Imperatore floreret, ac longè, lateq; propagaretur. Sed sinamus hunc catellum, Solem allatrare, rancidumque inuidumque inuidiâ rabire.

Sic & Imperator Claudius seculares ludos celebrauit ea ipsa die, quæ V. C. octingentesimum inchoabat annum: sed & Philippi Impp. ambo, eâdem item die faciebant seculares ludos, quæ millesimum annum adauspicabatur.

Id verò eò magis obtinet, estque certum; cùm iam su-

pra ostenderimus affatim, seculares Ludos, eo tempore cœpisse primordia, quo anni Romani erant semestres, ita, vt re ipsa tum repræsentarint annum Iudæorum, Iubilæum, seu septies septimum, seu quadragesimum nonum; qui vtroque anno Iubilæi incluso conclusoque pariter vocabatur quinquagesimus, perindè vti nunc πεντηκοστή, siue quinquagesima dies dicebatur, (quæ aliôquin erat quadragesima nona) hoc est septies septima. Quin imò in Casinate agro vetus est inscriptio; quę ostendit Sex. quendam Vitellium, qui non nisi 98. annos, dies verò vixerit 18. natum esse illo ipso anno, quo Septimi Ludi Consulares celebrati fuerant; & obijsse illo, quo octaui. Sed perspicuitatis, autoritatis, & antiquitatis gratiâ, monumētum hic reponamus, fide fida. Nam licet literæ aliquæ, vt ferè fit, labent; Lectorem doctum non morabuntur.

MEMORIÆ

SEX. VIGELLI. AQVINAT. QVI
ANN. ATTIGIT CENTENS.
SET ALTERVM ET NONA
GENS. PERPET. INOFFENSA
VALETVD. EXEGIT. RELIQVOS
SEPTEM ET DIES XIIX. DECVBV-
IT ET OCCVBVIT. NAT. LVD.
SÆCVL. VII. OBIIT SEQVENT.

Quo tamen pacto, Ludi votiui Decennalium, Vicennalium, Tricennalium, Imperatorum, totidem annis imperantium, non celebrantur, ea scilicet die, quæ annum Imperij cuiusuis Imperatoris decimum, vicesimum, & tricesimum complet; sed potius, quæ inchoat eundem, hoc est, die natali Imperij decimâ, vicesimâ, tricesimâ. Qua etiam in re Iosephus Scaliger hallucinatus impegit grauius.

Multò verò etiam minus obstat id, quod in ijs quæ extant, Sibyllinis carminibus, vti & apud Censorinum, ac Zosi-

Zosinum de Ludorum secularium tempore, centum videlicet, ac decem prætereà annorum, legitur: quasi non ipso centesimo, sed centesimo potius decimo demũ anno, seculares Ludi ritè fuerint celebrati, ac celebrandi. Hæc.n.quà de primæua horum Ludorũ institutione, ac origine, falsa penitus, atq; erronea sententia, vti mea quidẽ fert opinio, non nisi ex corrupto, librariorũq; vitio deprauato Horatiano loco emersit; interpretũ verò quorundã inscitiã longiùs est euagata. Horatius.n. velut pius vates, & mystes in carminis sui secularis προσευκτικῇ, Dianam hiscé compellitat:

Diua, producas sobolem, Patrumq;
Prosperes decreta super iugandis
Feminis, prolisq; nouæ feraci
Lege marita;
Certus, vt denos decies per annos
Orbis & cantus, referatq; Ludos
Ter die claro, totiesq; grata
Nocte frequentes.

Hoc est; Posteritatem tribue, vt certus Orbis denos decies, seu centũ per annos, & cantus & Ludos referat tribus diebus, & totidem noctibus. In hoc, inquam, Horatianæ strophes alterius primo versiculo pro (*vt denos*) perperam olim legebatur, vt & hodie in nonnullis inemendatis legitur codicibus, (*vndenos.*) Quod verò centesimo, & nequaquam centesimo decimo demum anno Ludi seculares sint celebrati, iam alibi fusè, palàmque, vt spero, demonstrauimus, & ipsius Censorini errores satis deteximus; ne porrò Autoris huius vel ratio, vel autoritas in auia secum incautum aliquem queat abducere. Quin & Paulus Diaconus ex Festo, disertis sanè tradit verbis; seculares Ludi apud Romanos post centum annos fiebant; quia seculum in centum annos extendi existimabant.

In ipsis etiam Festi est fragmentis; TVM POST AN-

NOS; hoc est, *centum post annos.* Sed & in Tabulis Fastorum Capitolinis; *C. Furnio, C.F. & C.Iunio Coss. quo anno Augustus sæculares Ludos celebrauit*, subiungitur isthæc nota; C L. id est, *Centenarij Ludi.* Sic etiamsi Varro de lingua Lat. lib. 5. paulò post principiũ; *seculum*, inquit, *spatium centum annorum vocabant.* Et Festus; *Hyperborei*, inquit, *supra Aquilonis flatum habitantes, dicti, quod humanæ vitæ modum excedant viuendo vltrà centesimum annum*, id est, ὑπερβαίνοντες ὅρων humani seculi. Vnde & Euseb. in Chronico: Ἐν Ῥώμῃ Κλαρίων (secularium videlicet ἀγὼν ἑκατονταετὴς ἄγεται. *Romæ clariorum* (Apollinis opinor & Dianæ) *Ludus secularis agitur.* Quin & Claudianus in sextum Honorij Consulatum, seculares Ludos, viginti lustris, hoc est, centum annis redintegrari notauit, & obseruauit:

--- cum flauescentia centum
Messibus æstiua detondent Gargara falces,
Spectatosq; iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus secula consul,
His annis, qui lustra mihi bis dena recensent.

Hæc Claudianus.

CAP. CCXXXI.

E multis, quorum supra meminimus, & compluribus alijs, quæ dehinc commemorabuntur, exemplis probè probatum esse opinor, ob errorem illum quinquennij Chronologicum, qui circa Christi tempora in Consulum vulgares Fastos irrepsit, Romanos Historicos multas res in prouincijs extra Italiam præsertim gestas, integro quinquennio citius, annis V. C. atque Consulibus Ordinariis assignasse. Quod ipsum etiam contigit in Historia Regis Archelai Viennam à Tiberio relegati. Anno enim V.C. Tab. Cap. 758. M. Æmilio Lepido, & L. Arruntio Coss. Dio Cassius lib. LV. hæc refert: Ἡρώδης ὁ Παλαιστινὸς αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβὼν, ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ὑπερωρίσθη, καὶ

τὸ

τὸ μέρος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδημοσιώθη. Herodes Palæstinus à fratribus accusatus, trans Alpes eſt relegatus, ac pars eius ditionis in publicum eſt redacta. Eundem errorem habet Ioſephus. Lib. enim antiquit. Iud. 18. c. 3. ait: Κυρήνιος, τὰ Ἀρχελάου χρήματα ἀποδόμενος ἤδη, καὶ τῶν ἀποτιμήσεων πέρας ἐχουσῶν, αἳ ἐγένοντο τριακοστῷ, καὶ ἑβδόμῳ ἔτει μετὰ τὴν Ἀντωνίου ἐν Ἀκτίῳ ἧτταν ὑπὸ Καίσαρος, Ἄνανον ἱστᾷ ἀρχιερέα. *Quirinus*, ait, *venditis & confiſcatis Archelai facultatibus, peractoq; cenſu, qui incidit in annũ triceſimum ſeptimum poſt victum à Cæſare Antonium ad Actium, Anano Pontificatum dedit.* Hæc Ioſephus.

Victus eſt autem ad Actium Antonius ab Octauio anno V. C. Tab. Cap. 722. die 2 Septemb. Quibus annis ſubde 36. (ita vt Ioſephi more, annus vterque extremus in annorum includatur numerum,) quo pacto ritè prodibit annus. V. C. Tab. Cap. 758.

Quod verò Archelai relegatio, quinquennio toto anticipetur Faſtis Conſularibus, id in primis ex Eclipſeos Lunaris infallibili charactere probè conſtat. Nam illa, Ioſepho eodem teſte, paulò ante Paſchale tempus, atque ante Herodis Magni mortem contigit. Nam anno Chriſti ſeptimo inchoante, qui meo calculo incidit in annum V. C. Tab. Cap. 754. die 20. Febr. deſinente, Luna Hieroſolymis, vnâ ferè horâ ante noctem mediam defecit digitis 2° 1. 18. Sole verſante in 29°. 51. adeoque in fine propè Aquarij.

Proinde annis V. C. Tab. Cap. 754. ſubiunge annos plenos completosq; 9. atque hinc, anno poſt mortem Herodis Magni decimo currente prodetur relegatus Archelaus, Anno V. C. Tab. Cap. 763. nequaquam verò anno 758.

Id etiam inde comprobatur: quippe publicationem, confiſcationemué bonorum Archelai, ſubſecuta mox eſt deſcriptio, cenſioué prædiorum totius Orbis & Imperij

Romani; quem Vniuerſum cenſum Quirinus Syriæ Præſes peregit in Syria. Teſtatur id eodem 3. cap. lib. 18. ſuarum Antiquitat. Ioſephus. Vbi, ἐν πλάτει deſcriptionem vtramque, tam bonorum ſcilicet Archelai ſingularem, quàm Vniuerſam illam totius Orbis cenſionem, in vnum eundemq; annum, vel certè in proximè inſequentē, à Victoria ſcilicet Actiaca trigeſimum ſeptimum conijcit. Quare, idem Ioſephus lib. Antiquitat. 18. c. 15. Καῖσαρ, inquit, Ἀρχέλαον φυγάδα ἐλαύνει, δοὺς οἰκητήριον αὐτῷ Βίενναν πόλιν τῆς Γαλατίας. τὰ δὲ χρήματα ἀπηνέγκατο, τῆς δὲ Ἀρχελάου χώρας ὑποτελοῦς προσνεμηθείσης τῇ Σύρων πέμπεται Κυρήνιος ὑπὸ Καίσαρος, ἀνὴρ ὑπατικὸς, ἀποτιμησόμενος τὰ ἐν Συρίᾳ, καὶ τὸν Ἀρχελάου ἀποδωσόμενος οἶκον. *Cæſar Archelaum*, ait, *miſit Viennam in exilium, quæ eſt Vrbs Galliæ; mulctatum omni pecunia.* Et mox; *Ditione verò Archelai attributa Prouinciæ Syriæ, miſſus eſt eò, vir Conſularis, Quirinus, qui & cenſum deſcriberet in Syria, & ipſius Archelai domum venderet.* Idem Ioſephus lib. eodem 18. c. 1. Κυρήνιος δὲ, inquit, σὺν ὀλίγοις ἐπὶ Συρίας παρῆν ὑπὸ Καίσαρος, δικαιοδότης τοῦ ἔθνους ἀπεσταλμένος, καὶ τιμητὴς τῶν οὐσιῶν γενησόμενος. Κωπώνιος τε αὐτῷ συγκαταπέμπεται, τάγματος τῶν ἱππέων ἡγησόμενος, Ἰουδαίων, τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ. Παρῆν δὲ καὶ Κυρήνιος εἰς τὴν Ἰουδαίων προσθήκην τῆς Συρίας γενομένην, ἀποτιμησόμενός τε αὐτῶν τὰς οὐσίας, καὶ ἀποδωσόμενος τὰ Ἀρχελάου χρήματα. *Quirinius autem à Cæſare mittitur in Syriam, vt iura genti* (Iudæorum ſcilicet, aliorumq; Syrorum) *redderet: & vt poſſeſſiones ſeu prædia ipſorum deſcriberet: Et ſimul cum eo mittitur Coponius, Præfectus turmæ Equitum, qui ſummum in Iudæa teneret Imperium* (ius nimirum, vt vocare conſueuimus, gladij.) *Venit autem in Iudæam Quirinus, quæ iam Syriæ Prouinciæ eſſet attributa; vt percenſeret facultates, ſeu prædia Iudæorum; & , vt Archelai pecuniam in poteſtatem ſuam* (vel potius Cæſaris) *redigeret.* Et cap. 3. lib. eodem ſubdit; Κωπώνιος, ὃν ἔφην Κυρηνίῳ συνεκπεμφθῆναι, μετ

μετ' ὀ πολὺ εἰς Ῥώμην ἐπαναχωρεῖ, διάδοχος δὲ αὐτῷ τῆς ἀρχῆς παραγίνεται Μάρκος Ἀμβιβοῦχος. διαδέχεται δὲ καὶ τοῦτον Ἄννιος Ῥοῦφος, ἐφ' οὗ δὴ καὶ τελευτᾷ Καῖσαρ. *Coponius, quem cum Quirinio missum fuisse diximus paulo post Romam reuertitur, Successore Imperij accepto M. Ambinio. Huicq́; successit Annius Rufus, cuius tempore Augustus fato functus est.* Idem de bello Iudaico lib. 2. c. 11. Græcè; 6. Latinè; ἐπὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ Ἀρχελάου ἐννάτῳ, φυγαδεύεται μὲν εἰς Βίενναν πόλιν τῆς Γαλατίας αὐτός. ἡ οὐσία δ' αὐτοῦ τοῖς Καίσαρος θησαυροῖς ἐγκατατάσσεται. *Archelaus nono principatus sui anno in exilium pellitur Viennam Galliæ ciuitatem: patrimonium verò eius fisco Cæsaris adiudicatur:* τῆς δ' Ἀρχελάου χώρας εἰς ἐπαρχίαν περιγραφείσης, ἐπίτροπός τις ἱππικῆς παρὰ Ῥωμαίοις τάξεως Κωπώνιος πέμπεται, μέχρι τοῦ κτείνειν λαβὼν παρὰ τοῦ Καίσαρος ἐξουσίαν. *Archelai verò,* ait, *ditione in Prouinciam adscripta, Curatur eò mittitur Coponius, eques Romanus, cum gladij potestate.* Et hæc Iosephus hactenus.

E quibus omnibus liquet locis Anno V. C. Tab. Cap. 763. Archelaum Viennam relegatum, & Quirinium vnà cum Coponio in Syriam missum; Anno verò subsequente Quirinium Archelai ditionem Syriæ addidisse, & eiusdem pecuniam in publicum redegisse, ac totius Syriæ, cui iam item Iudæa inserta erat, prædiorum fecisse descriptionem; eodem etiam anno V.C.Tab.Cap.764. Coponium turmæ Equitum cum gladij potestate præfuisse: Anno autem 765. M. Ambiuium; Anno demum 766. quo desinente desijt etiam in viuis esse Augustus, Annium Rufum, tenuisse illic Imperium.

E quibus omnibus, sequitur, quinquennio ipso citius, relegationē Archelai Fastis Consularibus insertam. Dio n. Cassius disertè sanè vniuersam illam prædiorum descriptionem, Anno demum V. C. Tab. Cap. 765. L. Munatio, & C. Silio Coss. peractam hisçe tradit: Αὔγουστος, ἐπεί τι

τὰς ἀγρὰς, καὶ ἐπὶ τὰς οἰκίας τὴν συντέλειαν ἤγαγε, καὶ παραχρῆμα μηδὲν εἰπών, μήθ' ὅσον, μήθ' ὅπως αὐτὸ δώσουσιν, ἔπεμψεν ἄλλους ἄλλῃ πάντη τῶν ἰδιωτῶν, καὶ τὰ τῶν πόλεων κτήματα ἀπογραψαμένους. *Augustus in agros atq; domos* (prædia scilicet tam sub vrbana, quàm rustica) *censum transtulit. Ac confestim, non ostenso prius quantum, & quo pendendum modo cuiuis foret, alios aliò ablegauit, qui & priuatorum & ciuitatum facultates, seu prædia distribuerent.*

Quamobrem isthæc prædiorum descriptio sub Quirinio Præside, non tam in Syria, quàm toto terrarum Orbe Romano, demum Anno V.C. Tab. Cap. 765. anno scilicet ante Augusti obitum, acta est & peracta.

CAP. CCXXXII.

Qui quidem quinquennij error, quo, vt dictum doctumque, Archelai relegatio quinquennio citius in Consularibus Fastis relata fuit, vsque adeò transuersum egit Iosephum, vt is, quod consequi necessum est, Archelao solos nouem, non verò decem (quos somnium etiam illius indicat) in suo principatu tribueret annos: sed & illos 37. Regni Iudæorum, Herodisque Magni annos, integro quadriennio celerius, & inciperet, & finiret. Etenim annum V. C. Tab. Cap. 713. Cn. Domitio Caluino secundùm, & C. Asinio Pollione Coss. quo anno Herodes Romæ tantummodo salutatus Rex fuerat, quarto nimirum, priusquā Hierosolyma, Iudaici regni sedem Herodes occupasset, pro primo; annum autem V. C. 749. pro septimo & trigesimo, regnique Herodis vltimo Anno constituit.

Ab eo verò deinceps (vt errorem error pariat) cùm ad Augusti mortem numerentur anni 17. hinc in annum vsque vigesimum Tiberij Imp. numerauit annos 37. regni Philippi, qui frater fuerat Herodis. Sic enim antiquit. 18. c.6. loquitur: τότε δὴ καὶ Φίλιππος, Ἡρώδου δὲ ἦν ἀδελφὸς, τελευτᾷ τὸν βίον, εἰκοστῷ μὲν ἐνιαυτῷ τῆς Τιβερίου ἀρχῆς. ἡγησάμενος

νος δὲ αὐτὸς, ἑπτὰ καὶ τριάκοντα τῆς τραχωνίτιδος, καὶ Γαυλανίτιδος, καὶ τοῦ Βαταναίων ἔθνους πρὸς αὐτοῖς. *Tum etiam Philippus*, ait, *Herodis frater diem ſuum obijt, anno Imperio Tiberij viceſimo, cùm ipſe præfuiſſet triginta ſeptem annis Trachonitidi, & Gaulanitidi, ac Batanea.*

Cæterùm ex his, quæ ſupra, præſertim 148. & 149. capitibus produximus, planum eſt & perſpicuum, Regni Iudæorum Herodis Magni annos 37. ab eo potius tempore, quo is Hieroſolyma, ſedem regni ceperat, exſurgere: ac anno demum V.C. Tab. Cap. 753. inchoante, deſinere.

Quin ipſa quoque Iudæorum vetuſta traditio, Chronologicum hunc Ioſephi errorem falſitatis egregiè redarguit. Tradunt enim Iudæi in ſui Computi Spicilegio, ſeu Aera annorum Mundi, à condito ſcilicet Mundo ad deletionem Domus, ſeu templi iunioris, annos eſſe 3828. Ad regnum verò Hagarenorum, Herodis videlicet Magni, ſeu Idumæi, primique Regis Iudæorum alienigenæ, ſolos ſtatuunt annos Mundi 3726. Ex annis igitur illis 3828. ſubtrahe 3726. & relinquũtur anni 102. ab initio regni Herodis Magni, ad vſque templum ſub Tito Imp. concrematum. Contigit verò id anno Chriſti 70. deſinente. Sublatis proinde 70. ex 102. neceſſarium eſt, regnum Herodis demum ex anno ante Chriſtum 32. conſurgere. Qui quidem annus ante Chriſtum 32. mihi iuxta veros, emendatoſque Coſſ. Faſtos incidit in annum V. C. Tab. Cap. 716. M. Vipſanio Agrippa, & L. Caninio Gallo Coſſ: quo anno, Ioſepho & Dione Caſſio teſtibus, Herodes ſedem regni, cum ſancta Hieroſolymorum ciuitate occupauit.

Qua quidem Iudæorum traditione, cùm Faſti Conſulum vulgares, qui annum hunc quinquennio ipſo præcurrunt, tum Ioſephus ipſe, qui octennio, vt viſum, regnũ Herodis præoccupat, non tam falſitatis arguũtur, quã corriguntur; noſtra verò Chronologica calculatio fit valẽtior.

Eadem isthæc Iudæorum traditio ex Magno illo Iudæorum Germanorum confirmatur Computo. In hoc enim à Regno Herodis in annum Mundi 5317. quo Computus hic conscriptus fuit, assignantur anni 1691. quanquam patenti sanè lapsu, pro 1591. subtractis proinde 1591. ex 5317. remanet annus Mundi, iuxta Iudæorum hunccé Computum, 3726. pro initio regni Herodis Magni, seu Hagarenorum.

CAP. CCXXXIII.

Semper apud me summi momenti fuit, imò maximi ponderis apud omnes esse iure debet, auctoritas SS. nostræ, Romæ fundatæ Ecclesiæ Catholicæ: quæ annos CHRISTI vulgares, velut de manu in manum posteritati prodens, nobis tradidit. Atqui constat, Epocham Christi vulgarem, iuxta quidem Fastos Consulum vulgares, incidere demum in annum V. C. Tab. Cap. 752. desinentem. At hac ratione, si quidem Iosephi erroneam sequamur opinionem, & Herodis Magni annum regni vltimum in annum V. C. Tab. Cap. 749. conjiciamus, fiet, vt integro triennio, vel verius, quadriennio, videatur Herodes prius obijsse, quam Christus nasceretur; idq; contra ipsam S. Matthæi sententiam.

Hic implicatior, intricatiorque nodus adegisse videtur Laurentiū Suslygam, in disputatione Theologica sub Præside R. D. Ioanne Dekerio Soc. IESV Theologo Anno 1605. Græcij habitâ, cùm illum dissoluere non posset, resecare; ac præter, & contra omnes omnium Auctorum traditiones, anno Iuliano vulgari 41. hoc est, anno ante vulgarem Christi Epocham quinto currenti, & ἐνσυέρχωσιν, & natiuitatem Christi assignare. Comprobauit hanc opinionem anno sequenti Io. Keplerus Sac. Cæs. Maiestat. Mathematicus perinsignis; quanquam, nouâ magis sententia, anno potius ante Epocham CHRISTI sexto

ſexto natum eſſe Chriſtum opinatur. Tametſi verò nemo vnquam, & vſpiam gentium & locorum & temporum ex Veteribus Auctoribus omnibus, quod equidem obſeruare potui, hoc ita tradat; liberè tamen ac ingenuè profiteor, ſi quidem Faſtos Coſſ. vulgares, vnà cum auctoritate Ioſephi, ſartos, tectoſque conſeruare velit, Euangelium S. Matthæi haſce opiniones non diſſuadere.

At nobis, in hac noſtrate Chronologiâ, nodi huius ſolutio per quàm eſt facilis, nulliuſque planè negotij. Nam errorem, quinquennij In Faſtis Conſularibus, vulgaribuſque iam oſtendimus; ita vt vulgaris Epocha Chriſti nobis Anno V. C. Tab. Cap. 747. deſinenti coincidat; Ioſephi verò de tempore Regni Herodis erroneam opinionem iam demonſtrauimus. Nec verò mirum, in tempore Natiuitatis Chriſti definiendo, illos aberrare quinquennio: quippe Faſtos Coſſ. vulgares, quinquennio item aberrantes, ſectantur.

CAP. CCXXXIV.

Idem Chronologicus ſcrupulus, ante hæc noſtra tempora, pridem torſit Chriſtianos Veteres, Græcos præſertim, ac cumprimis Conſtantinopolitanos, eoque redegit; vt, & annum mortis Herodis vno anno ſignarent tardius, & tempus Incarnationis & Natiuitatis CHRISTI, triennio integro ante vulgarem CHRISTI Epocham collocarent. Etenim, iuxta quidem vulgares Coſſ. Faſtos anno V. C. Tab. Cap. 713. quo Herodes Romæ Rex fuit appellatus, deſinente, 37. annorum Regni Herodis ſtatuunt initium; &, quod conſequitur, anno V.C. Tab. Cap. 750. demum exacto, Herodis obitũ ponunt; vt inde in annum vſq; Tiberij viceſimum procurrãt; ſi quidem vterq; annus extremus in hoc includatur numero. Atq; ideo, currente hoc anno V. C. Tab. Cap. 750. L.

Cornelio Lentulo, & M. Valerio Messalino Coss. (quibus Coss. natum esse Christum etiam Cassiodorus tradit) sicq; currente ante vulgarem Christi Epocham anno tertio, & incarnatum, & natum esse Christum opinantur. Vnde fit, vt in τῆς θείας σαρκώσεως annis (quales etiam Eusebij, & S. Hieronymi Chronicis vulgaribus sunt inserti) toto triennio; atque in annis à Natali Christiano consurgentibus, biennio plus numerent, quàm nos vulgò solemus numerare. Hinc etiam anno Mundi 5505. exacto, τῆς θείας σαρκώσεως annos inchoant; cum Epocha nostra Christi vulgaris in annum Mundi Græcorum 5508. desinentem incidat. Pari modo Iosepho Scaligero, & Henrico Samerio, in sacrâ suâ Chronologia, anni à nato Christo præuertunt annos Christi vulgares integro biennio.

Nec equidem video, si vulgares Coss. Fastos, & Iosephi sententiam, sequi ac tenere velimus, quâ ratione, Christi annos vulgares tueri possimus; cùm Herodis regis iuxta Iosephum annus vltimus Fastis illis incidat in annum V. C. Tab. Cap. 749. vel certè, 750. & natalis Christi dies, demum in annum 752. desinentem incurrat.

Et verò illi ipsi, qui Incarnationis & Natiuitatis Christi annos integro anticipant triennio, etiam annum Passionis, mortisque Christi, integro item triennio citius signant. Etenim tradunt Anno Iuliano vulgari 76. seu Anno Christi vulgari 31. ad 10. Cal April. seu 23. Martij passum esse Christum. Et habet hæc sententia magnum Auctorum numerum: cum eam Græcorum plerique, præter Antiochenos, amplectantur. Sequitur eandem de tempore Passionis Christi opinionem idem Laurentius Suslyga. Qui quidem, vt ex 233. capite satis patuit, opinionis suæ de Incarnationis & Natiuitatis Christi tempore, nullum omninò: at de tempore Passionis Christi plurimos habet Auctores.

Cùm

Cùm tamen in huius diei 23. ſcilicet Martij meridie, anno Chriſti vulgari 31. medius Lunæ locus à medio loco Solis fuerit, 2ˢ. 17. 32'. 28''. ſicque tunc Luna nequaquam fuerit decima quarta, ſed ab ipſo puncto medij Nouilunij vndecima, & ex quo noua comparuerat, non niſi noua.

Nos autem, hac noſtrate Chronologiâ, & Faſtos Coſſ. vulgares, & Ioſephum hac in re aberraſſe iam docuimus; annoſque Chriſti vulgares ex ipſo Veritatis fonte deducimus.

CAP. CCXXXV.

Iulius Africanus, vt tam ex Bibliotheca Photij, quàm è fragmentis à Ioſ. Scaligero collectis conſtat, ſcripſit ad finem vſque anni vulgaris Chriſti 220. (& initium anni 221. quo Gratus & Seleucus fuêre ordinarij Coſſ.) adq; annum tertium Antonini Auiti Helagabali, (qui videlicet circa initium anni Chriſti 221. deſinit:) ad finem etiam vſque Olympiadis 249. (& initium Olympiadis 250. quæ anno Chriſti 221. currente demum inchoat, ideoque illius Olympionicam non nominat; cùm non niſi 249. recenſeat:) A Chriſto deinceps non niſi curſim aliqua interſerit ad Imperium vſque Macrini, vt cui Helagabalus ſucceſſit: refertque ſe Hiſtoriam ſcribere annorum Mundi 5723. Atqui, anno Chriſti 220. Græci paſſim numerarunt ann. Incarn. Chriſti 223. Subtractis igitur hiſce 223. ex 5723. quod neceſſarium eſt, Africano huic primus Incarnat. Chriſti annus incidit in annum tertium ante vulgarem Epocham Chriſti, & quidem exacto anno Mundi 5500.

Sed & S. Hippolytus Epiſcopus & Martyr, anno proximo conſequente, h.e. vulgari Chriſti 222. Canonẽ ſuum Paſchalẽ cœpit: qui, vti Africanus, annos mundi & Chriſti, nnmerat; (vt ſingulari aliquo oſtendemus libello:) atq; annis Incarnat. Chriſti annos quoq; Mundi 5500. præfigit. Nec id mirum. Adeò enim increbuit, anno Mundi

5500. exacto, Christum induisse humanam naturam, vt id ipsum, velut diuinitùs traditum, crederetur. Ideoque Antiocheni, qui anno demum Christi nono vulgari, primum annum Incarnationis Christi statuerunt; nihilominus illis ipsis Incarnat. Christi annis, annos 5500. Mundi præmiserunt.

Veruntamen error, quo de agimus, effecit; vt Africanus Coss. illos Gratum & Seleucum in annum à Regibus è Roma exactos 725. coniecerit; & Regibus Romanis 243. annos attribuerit: qui vtrique collecti numeri conflant annum V. C. 968. E quibus si vulgarem annum CHRISTI 221. subtrahas; remanet annus V. C. Tab. Cap. 737. Quo ipso anno hæc noua nostra Chronologia vulgarem quoque CHRISTI signat Epocham: quanquam iuxta Consulares Fastos vulgares quinquennio toto tardius coincidat.

Præterea Constantinopolitani, ac præter Antiochenos, plerique omnes Græci alij, etsi annos Incarnat. Christi, iuxta Africanum & Hippolytum numerent, tamen ob eundem quinquennij lapsum, annis illis, non 5500. sed quinquennio amplius, nempe 5505. annos Mundi prætexunt.

Sic in Excerptis ex Sex. Aurelio Victore, de vita & moribus Impp. Rom. Diocletiano, etsi satis cōstet, non nisi viginti eum annos imperasse, attamen quinquennio toto plus, viginti nimirum quinque anni Imperij, ob hunc ipsum quinquennij errorem, adscribuntur. Consurgunt enim Excerpta illa à Victoria Actiaca; à qua annos dehinc numeratos testatur etiam Dio Cassius. Ea autem, vti supra meminimus, contigit 2. Septembris, & re verâ anno ante Christum 26. sed iuxta vulgares Coss. Fastos quinquēnio citius, anno scilicet ante Christum 31. desinente. Contrà verò, Tyrij verum Actiacæ Victoriæ tempus, in Calculo

suo

ſuo retinentes, anno vulgari Chriſti 277. quo Antiocheni numerarunt annos Antiochenorum 325. ipſi (vt apparet in duobus Vaticanis exemplaribus) numerabant annos 302. ita, vt annum à Victoria Actiaca proximè conſequentem, iuxta noſtræ Chronologiæ mentem, ſtatuerint anno ante Chriſtum 25. non autem 30. vti alioqui vulgares Coſſ. Faſti exhibent.

CAP. CCXXVI.

In Euſebij, & S. Hieronymi Chronicis, anno Imp. Probi ſecundo locus quidam de annis Antiochenorũ, Laodicenorum, Tyriorum, Edeſſenorum, & Aſcalonitarũ, huc uſq; ab omnibus pro depoſito, & inemendabili eſt habitus.

Vt igitur Labyrinthi huius Chronologica perplexitas filo Veritatis dirigatur, expediaturque, & Chronologiæ huic noſtræ etiam hinc lucis aliquid obueniat, inprimis eſt animaduertendum, Anno Chriſti 276. vulgari, Tacito Auguſto ſecundùm, & Fuluio Æmyliano Coſſ. Tacitum Imp. Idibus Aprilis obijſſe. Tametſi verò frater ipſius Florianus illico arripuerit Imperium, quanquam ſpõte ſua priuatim, à nemine lectus, aut vocatus ad laureã; non tamẽ ipſum, ſed potius Probum ab exercitu omni electum conſtat. Florianus verò quinto poſt die non. Iulij à militibus eſt occiſus. Probus igitur, citra dubium, non cæſi Floriani, ſed obitus Taciti diem, pro Imperij ſui natali aſſumpſit. Innuit hoc ipſum Iulianus Imper. hac in re omni exceptione teſtis maior; vt qui paulò poſt etiam imperarit. In ludo quippe ſuo de Cæſaribus: τούτῳ, ait, συνέρχεται, καὶ Πρόβος, ἑβδομήκοντα πόλεις ἀναστήσας ἐν οὐδ᾽ ὅλοις ἐνιαυτοῖς ἑπτά. *Cui congreditur etiam Probus, ſeptuaginta excisis, non totis annis ſeptem, Vrbibus.* Occiſus quippe eſt Probus An. Chriſti vulgari 282. 4. non. Nouembr. Quare anno Chriſti vulgari 277. Idibus Aprilis Probus, ſecundum vtiq; diem natalem, ſui Imperij celebrauit. Nec obſtat, quod

in

in Chronicis illis annus ſecundus Imperij Probi, demum anno Domini 281. hoc eſt anno Chriſti vulgari 278. adſcribitur. Id enim exinde contingit; quia Floriano 80. dies Imperij aſſignantur, &interſeruntur ibidem: &, quod conſequi neceſſe eſt, ex die Floriani cæſi demum Probo non niſi ſex anni, & menſes 4. à 5. die non. Iulij, in 4. non. Nou. adſcribuntur.

Quin imò, Georgius quoq;, Taraſij Patriarchæ Syncellus, etſi Euſebij & S. Hieronymi ſequatur Chronicon, tamen Floriani 80. illos dies Imperio Probi adijcit: Βασιλεύει, inquit, Πρόβος ἔτη ϛ´. μῆνας δ´. ὁμοῦ γενόμενα ἔτη ζ´. *Imperat*, ait, *Probus annis ſex, menſes quatuor. ſimul ſumpta, ſunt anni ſeptem.* Itaque etiam hic Auctor, quemadmodum Iulianus Imp. ſeptem annos Imperij Probo adiudicat. Et ſubiungit Chronologus Georgius; κόσμου ἔτη εψ´ο, τῆς θείας σαρκώσεως ἔτη σο´. (ergò anno Chriſti vulgari 278.) τῷ τρίτῳ ἔτει Πρόβου. Cùm itaque annum Probi tertium conijciat in annum Chriſti vulgarem 278. Ergò ſecundus omninò competit anno 277.

Hoc ipſum, quod annus videlicet Probi Imp. ſecundus, anno vulgari Chriſti 277. competat, etiam inde apparet. Quia, illi ipſi diuerſarum gentium anni diuerſi, haud dubiè anno primo Cycli Paſchalis Anatolij ſunt accõmodati. Poſt enumerationem enim horum annorum, mox ſubſequitur in Euſebij Chronico; Ἀνατόλιος ὁ Λαοδικείας ἐπίσκοπος, φιλοσόφοις μαθήμασι διαπρέπων γνωρίζεται. Vt vertit S. Hieronymus; *Anatolius Laodicenus Epiſcopus Philoſophorum diſciplinis eruditus, multorum ſermone celebratur.*

Idem Euſeb. Eccleſiaſt. hiſt. lib. 7. cap. 32. pag. 82. ex Anatolio περὶ τοῦ Πάσχα, hæc recitat: Ἔχει τοίνυν ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει τὴν νουμηνίαν τοῦ πρώτου μηνὸς, ἥ τις ἁπάσης ἐστὶν ἀρχὴ τῆς ἐννεακαιδεκαετηρίδος, τῇ (τῇ enim pro τῆς emendandum, legendumque cenſeo) κατὰ Αἰγυπτίους μὲν Φαμενὼθ ἕκτῃ καὶ δεκάδι.

κατὰ

κατὰ δὲ τοὺς Μακεδόνων μῆνας Δύστρου δευτέρα, καὶ δεκάδι, ὡς δ' ἂν εἴποιεν Ῥωμαῖοι, πρὸ ἕνδεκα καλανδῶν Ἀπριλλίων. * *In primo anno, hoc festum Nouilunium primi mensis occupat : quod est circuli decem & nouem annorum principium: quod secundum Ægyptios est, vigesimo sexto die mensis Phamenoth; secundum Macedonum menses, vigesimo secundo Dystri; sed vt Romani numerant, ad vndecimum Calendas Aprilis.*

*Eod. lib. 7. Eccles. hist. c. 26. lat. Edit. Interp. Christoph.

Cùm igitur in hoc primo Cycli decennouennalis Anatolij, Nouilunium, seu potius prima Luna incidat in 22. Martij; quod hinc consequitur, Cyclus ille initium capit à vulgari anno Christi 277. & nequaquam annis octo tardius, hoc est anno 285. seu Diocletiani primo. Iuxta enim tēpus æquale in Borussia, in meridie diei 22. Martij, anni 277. medius Lunæ locus à medio loco Solis distabat ☌. 8. 24'. 40''. Post Epocham videlicet Christi annis Ægyptijs 276. diebus 149 ½. Id quod ritè congruit. At anno Christi 285. in meridie diei 22. Martij, Luna à Sole distabat 5ˢ. 4°. 46'. 33''. sicque Nouilunij punctum incidit circa meridiem diei 23. Martij. Omninò itaque hæc diuersorum annorum traditio, secundo anno, Probi Imp. adscripta, anno Christi vulgari 277. planè competit; id quod ex ijs etiam, quæ consequuntur, argumentis patebit luculentius.

Annus igitur hic Christi Vulgaris 277. rectè vocatur annus Antiochenorum 325. siquidem hisce 277. annis ex 325. subtractis, relinquitur annus ante Christum 48. primusque Antiochenorum, id quod alioquin omnibus est in confesso.

Idem annus, vocatur annus Laodicenorum 324. cùm annus ante Christum 47. vti ex Georgio Pisida probauimus supra, sit Laodicenorum annus primus. Dicitur etiam, & quidem in duobus Vaticanis exemplaribus, annus Tyriorum 302. vt pauxillum supra declarauimus.

Nuncupatur porrò annus Edessenorum 588. (vel cer-

tè, iuxta Vaticanum exemplar, & Marliani, 589.) nec citra causam. Siquidem annis 277. ex 588. subtractis, relinquitur annus ante Christum 311. pro primo anno Laodicenorum, qui consurgit ex die prima Octobris, anni ante Christum 312. desinentis.

Proinde in his Eusebij, & D. Hieronymi Chronicis, Anno Mundi 4890. anno, vti Olympiades ibidem numerari solent, secundo, Olympiadis 117. anno 16. Ptolemæi Lagi filij, Nono Cassandri, & quarto Seleuci Nicanoris, hoc est, anno ante Christum 312. desinente: hæc verba inserta leguntnr; *Ab hoc loco Edesseni sua tempora computant.*

Idem Christi annus 277. vocatur etiam annus Ascalonitarum 580: (etenim 580. pro 380. legendum & reponendum censeo; cùm & in annis Edessenorũ pro 588. multa exemplaria similiter exhibuerint perperam 388. vt mirum non sit, numerorum peruersiones, etiam doctis & acutis, in hisce, tamdiu crucem fixisse:) Subtractis igitur 277. ex 580. reliquus fit annus ante Christum 303. ipsissimus, primusque Ascalonitarum: qui quidem nobis in hac nostate Chronologia noua, primus est annus Græcorum in Machabæorũ libris. Nec mirandum, Iudæis hîc cum Ascalonitis conuenire, præsertim post Herodem Magnum, Iudæorum Regem, & ipsum Ascalonitam.

Quin imò, etiam Tertullianus, in suo illo aduersus Iudæos apologetico, hoc ipso ante vulgarem Epocham anno 303. (octo videlicet annis, quàm Edesseni notant, tardius:) Alexandri Magni mortem, & initium regni Græcorum signat. Nam ab Alexandri Magni morte, in annũ vsq; à Cleopatræ reginæ morte 41. (qui mihi annus Christi vulgaris est 17.) numerat annos 319. menses 6. Quare, si annos Christi 17. ex 319 ½. subtrahas; remanent anni ante Christum 302. & prætereа menses 6.

Hæ

Hæ itaque traditiones cùm hanc nostram Chronologiam fouent; tum annis regni Græcorum, cuius in Machabæorum libris tam multa mentio, egregiè fauent.

Postremò; alia quidem, præter ea, quæ in Vaticana Bibliotheca Romæ asseruantur, exemplaria, hoc ipso vulgari anno Christt 277. signant annum Tyriorum 402. vt annus ante Christum 125. sit Tyriorum annus primus. Et sanè in Chalcedonensis Synodi Actis, Actione 9. ita scriptum reperio: *Post Consulatum Flauij Zenonis, & Postumiani, venerandorum virorum Consulum, sub die quinto Calendarum Martiarum, in coloniâ Tyro clarissimâ, Consulari, anno quingentesimo septuagesimo quarto, mensis Perity duodecima*; (ita lego, vel. *die duodecima*, pro die decima) *secundum Romanos autem Februarij quinta & vigesima Indictione primâ.* Hæc ibidem. Iosephus quidem Scaliger ea intelligit, de vulgari anno Christi 448. Flauio Zenone, & Posthumiano. Ego verò de anno sequenti, nimirum 449. accipienda cēseo. Vetus enim Ecclesia, & annum nouū, & quod sequitur, Indictionē quoq; nouam à tēpore Paschæ ordiri solet. Et verba illa; (*post Consulatum*,) satis euincunt, non in ipso illorum Consularium magistratu, sed eo finito, demum hæc gesta; nouis fortè nec dum ibi renuntiatis Consulibus. Subtractis igitur annis Christi 449. ex 574: remanet similiter annus ante Christum 125. pro primo anno Tyriorum: quanquam in Eusebij Chronicis ea triennio à Synodo distare, perperam opinatur Scaliger.

Sed, vt verum fatear, ego hanc annorum Tyri originem corruptam, ex corrupto & deprauato Chronicorum Eusebij codice, vereor, opinorq; emersisse: quippe in quo centenaria vna nota redundarit: adeò, vt vera Tyriorum annorum origo consurgat ex anno ante Christum 25. qui vnà cum die 18. Augusti, anni præcedentis sumit initium. Omninò enim *hæc dies*

est Princeps Imperij, siue absolutè Romanorum, siue etiam sigillatim Augusti, teste Corn. Tacito.

Constat verò è fragmento Chronologico, quod Maximo Monacho adscribitur, cuius titulus; ὀνόματα μηνῶν κατὰ τυρίους; *Nomina mensium Tyriorum*, seu, secundum Tyrios mensem fuisse Loum, eiusque primam diem incidisse in ipsum 18. Augusti diem, pro ratione anni Iuliani; prioresque menses Tyriorum Macedonicos septem dierum 30. quinq; verò menses reliquos, fuisse dierum triginta & vnius, præter quarti anni intercalarem.

Quæ quidem omnia, cùm Chronologiam hanc nostram tuentur, tùm vulgares Coss. Fastos vellicant.

CAP. CCXXXVII.

Antiocheni etiam, in Incarnationis Christi annis, octo annis minus numerant, quàm vulgò Christi annos numerare solemus. Istius verò Antiocheni computi ratio atque origo, vel inde coorta est; Quia, Iulianorum annorum initium integro quoq; octennio anticipauerant: Vel, inde potius; quia, nomine descriptionis τῆς οἰκουμένης, orbis habitati, cuius apud D. Luc. c. 2. v. 2. est mentio, acceperunt pro descriptione illa celeberrimâ, non capitum, sed possessionum prædiorumque Orbis Romani, quam in Syria, (vt supra retulimus) Syriæque iam tum attributa Iudæa, Quirinius Syriæ Præses perfecerat. Vel certè, auctoritatem Iosephi secuti (qui descriptionem illam anno post Actiacam Victoriam, qua Antonium Augustus vicerat, 37. adscribit) pro tempore Actiacæ Victoriæ, tempus ipsum debellati ab Augusto Antonij, iuxta vulgares Coss. Fastos assampsêre, annos videlicet ante epocham Christi, plenos 29. Ægyptios, diesque 130 $\frac{1}{2}$. vt id colligere est ex Cl. Ptolemæo, Theone Alexandrino, & alijs. Etenim subiunge annis ante Christum 29. plenis, annos plenos post Christum octo; & anni 37. prodibunt. Nisi dicendum sit, quod

tamen

tamen coincidit, Anno V.C.Tab.Cap. 713. (quo Herodes, Romæ Rex dictus est) desinente, demum regni Herodis 37. annos inchoasse; ijsque exactis, inde anno Archelai decimo, hoc est, Anno V. C. Tab.Cap. 760. sicque iuxta vulgares Coss.Fastos, anno vulgari Christi octauo, descriptionem Quirinij notasse; atque inde annos Christi voluisse numerare.

Qua sanè ratione Georgio Abbati, Tarasij Constantinopolitani Patriarchæ Syncello, qui ad annum vsque vulgarem Christi 284. Chronologiam suam deduxit: Sic Theophani Monacho, qui exinde in annum Christi vulgarem 813. scripsit: Nicephoro quoque Chronologo, & Constantinopolitano pariter Patriarchæ, in sua Chronologiâ, quæ ad annum Christi 856. producta est; quin & Maximo Monacho, qui anno Christi vulgari 640. cœpit, & in sequentem duntaxat annum 641. progredi potuit; ac alijs compluribus annus Christi vulgaris nonus, est Incarnat. Christi annus primus; annus verò Mundi 5301.

Quæ quidem Incarnat. Christi annos numerandi ratio, Theophani eidem dicitur *κατὰ τοὺς Ἀλεξανδρεῖς*: *secundum Alexandrinos.* At Constantinopolitanorum altera, qua annus ante vulgarem Christi Epocham tertius, est Incarnat. Christi primus, Mundi verò 5506. vocatur *κατὰ τοὺς Ῥωμαίους*, *secundum Romanos*, subintellige verò Constantinopolitanos nouæ Vrbis Romæ habitatores. Vnde & in numis Constantinop. N. R. hoc est, *Noua Roma*; quæ notæ, opponuntur illis Romæ vel in, aut pro Occidentis Imperio cusis numismatis; vbi R. V. seu, Roma Vetus obsignatur.

Hanc geminam differentemq; annos Incarnat. Christi numerandi rationem nouit, obseruatq; Theophanes Monachus, cuius Historia miscella Paulo inscribitur Diacono: quanquam differentiam annorum Mundi neque no-

uit, neque ritè obſeruat: imò hinc, in ſexdecim annorum errorem incidit. Nam rectè quidem, iuxta Antiochenum, vel potius Alexandrinum computum tradit: *Habitum eſt ſextum Concilium contra Monothelitas, duodecimo anno Imperij Conſtantini, qui fuit Heraclij nepos, à mundo condito 6172.* Nam Conſtantinus ille, à promiſſiore barbâ cognomine Pogonatus, patri ſucceſſit in Imperio anno CHRISTI vulgari, 669. Idibus Iulijs: Illa verò ſexta Synodus Oecumenica cœpit exinde anno duodecimo, vulgari Chriſti 680. die 7. Nouemb. Is verò annus Antiochenis, ſeu Alexandrinis eſt annus Mundi 6172. cùm anni 5500. & 672. iuncti, conficiant annos 6172.

Cùm Theophanes autem in Canonibus 102. qui anno Chriſti 691. & 692. ſunt confecti, hæc in Canone tertio reperiſſet verba; *Decernimus, vt qui duobus matrimonijs implicati fuêre, & vſq; ad decimum quintum præteriti menſis Ianuarij, præteritæ quartæ Indictionis anni 6199. peccato ſeruierunt, depoſitioni Canonicæ ſubijciantur.* Cùm, inquam, Theophanes hæc in Canone illo tertio legeret, atque de annis Mundi Antiochenis, ſeu Alexandrinis caperet; hinc, tradidit, totis 27. poſt ſextam Synodum illam annis, Canones illos fuiſſe conſcriptos. Cum tamen ſint anni Mundi Conſtantlnopolitanorum, quibus Epocha vulgaris Chriſti incidit anno 5508. deſinente: Proinde ſi hiſce annis 5508. iunxeris annũ Chriſti 691. quartæ ipſius Indictionis; in ſummâ ipſiſſimi illi 6199. cumulatim prodibunt anni.

At annorum Incarnationis Chriſti Antiochenorum, ſeu Alexandrinorum initium incidit anno Mundi Conſtantinopolitanorm 5516. ritè ſanè, ac exactè. Et fortè hinc Theophilus, à S. Petro Epiſcopus Antiochenus ordine ſextus, anno Chriſti vulgari 179. qui eſt annus Incarnat. Chriſti Conſtantinopolitanorum 182. numerauit annum

num Mundi 5698. Etenim 5516. & 182. numeri iuncti, conficiunt 5698.

Et verò, velut Antiocheni isti, seu Alexandrini tempus Natiuitat. Christi; sic item tempus Christi Passionis integro item octennio locarunt tardius; anno Christi scilicet, ipsis quidem 34. nobis autem 42. die 23. Martij, Feria sexta; vti ex Maximo Monacho, & Niceta, apud Paulum Mittelburgens. Forosemproniensem Episcopum, satis superque constare arbitror.

CAP. CCXXXVIII.

Quemadmodum, siue Antiocheni, Alexandriniué qui octennio annos Christi anteuertunt, descriptionem illam prædiorum Romani Orbis, à Quirinio Syriæ Præside factam, à morte M. Antonij & Cleopatræ deinceps anno 37. signarunt, atq; hinc etiam annos Christi numerarunt; ita non defuère vetustissimi quique Patrum, qui ex illo item anno, quo re verâ descriptio illa prædiorum, Quirinio Syriæ Præside facta fuit, annos Natiuitatis CHRISTI designarent. Testatur id Tertullianus in Apologetico aduersus Iudæos cap. 8. Vbi ex oraculo, vaticinioq; Prophetiæ Danielis, ab initio Darij Syrij, seu nothi, qui annis regnauit vndeviginti, vsq; in annum Augusti à morte Cleopatræ deinceps 41. seu natalem Christi, numerat annorum septimanas $62\frac{1}{2}$. hoc est, annos $437\frac{1}{2}$. Atque hinc porrò ad exterminium vsq; Hierosolymorum putat annorum septimanas $7\frac{1}{2}$. hoc est, annos $52\frac{1}{2}$. Concors autem omnium est sententia, exterminium Hierosolymorum contigisse anno vulgari Christi 70. currente, vel certè vltra semissem, circiter, progresso. Itaque si ex annis Christi $69\frac{1}{2}$. annos illos $52\frac{1}{2}$. subtrahas, remanent anni vulgares Christi 17. pleni; è quibus, vnà cum anno Christi 18. vulgari consurgunt anni Natiuitatis Christi, iuxta Tertulliani sententiam supra memorati.

Et ſanè mihi, iuxta nouam hanc noſtram, exactamq́, temporum rationem, annus V. C. Tab. Cap. 765. quo, Dio Caſſius prædiorum Orbis deſcriptionem factam aſſeuerat, ad ipſum, vt dicitur punctum, incidit in hunc annum vulgarem Chriſti 18. ſeu primum annum Chriſti nati ſecundum Tertullianum; exacto, ſcilicet anno Auguſti à morte Cleopatræ quadrageſimo primo.

Interiit enim Cleopatra deſinente ipſo anno V. C. Tab. Cap. 723. His namque annis ſubde annos illos 41; & prodibit ritè annus V.C.Tab.Cap. 764. quo exacto, vnà cum anno 765. ſeries annorum nati Chriſti, iuxta Tertulliani mentem, exſurgit.

Quod verò ita Tertullianus ſenſerit, inde inprimis apparet; quia ibidem Cleopatræ ſub Auguſto tribuit annos regni 13: atque exinde demum ab eiuſdem Cleopatræ morte, ad natum vſque Chriſtum, non ſemel, ſed iterum 41. annos numerat.

Præterea id etiam inde colligere licet; ſubductis enim annis Chriſti 17. ex 437 $\frac{1}{2}$. remanent anni ante Chriſtum 420 $\frac{1}{2}$. pro initio Darij nothi: Inſuper etiam annis 118: ſicque currente anno ante Chriſtum 303. ſignat initium regni Græcorum, & quidem exactè iuxta libros Machabæorum.

Quin imò, idem Tertullianus, non modò illo cap. 8. ab initio Darij nothi, ad diem vſque Natiuitatis CHRISTI annos 437 $\frac{1}{2}$: atque hinc, vſque ad Hieroſolymorum ſub Tito Veſpaſiano factum exterminium, annos 52 $\frac{1}{2}$. numerat; verùm etiam id ipſum paulò poſt cap. ſcilicet 11. diſertè inculcat. Currunt verò, mihi exactè, ab anno Chriſti vulgari 17. finito, ſeu anno V.C.Tab.Cap. 764. exacto, ad Hieroſolymorum vſque excidium, hoc eſt, annum Chriſti 70. vulgarem mediantem, anni 52 $\frac{1}{2}$. At iuxta vulgares Coſſ.Faſtes, 57 $\frac{1}{2}$. Clarè igitur, iſthæc vetuſtiſſi-

ſtiſſima Chriſtianorum traditio, ab Auctore vetuſtiſſimo prodita; hanc noſtram Chronologiam comprobat; & à morte Auguſti ad vſque Hieroſolymorum exterminium, in Conſularibus Faſtis vulgaribus quinquennium redundare conuincit.

Nec obſtat, quòd hîc obijci poſſet interiectos videlicet inter initium Darij, & diem Natiuitatis Chriſti, atque hinc ad Hieroſolymitanum excidium, currentes annos, perperam, prȩterque fidem & veritatem hiſtoricam in annos regnorum, atq; imperiorum eſſe ſubdiuiſos. Tametſi enim hoc ita ſit; tamen id ipſum nil prȩiudicat principali themati. Imò verò, manifeſtius hinc apparet, ex vetuſtiſſima nimirum Eccleſiȩ traditione, ab initio Darij, in diem vſq; Natiuitatis Chriſti numeratos eſſe annos 437 $\frac{1}{2}$. atque hinc ad Hieroſolymorum excidium, non niſi 52 $\frac{1}{2}$. annos: tametſi anni Imperij Imperatorum interiectorum reclamare videantur.

Hanc porrò rationem annos Chriſti nati iuxta Tertullianum numerandi ſecutus eſt etiam S. Leo de Pentecoſte, ſermnoe 72. *Manichȩus ergò*, (Manetem intelligit,) *eo tempore damnandus innotuit, quo, poſt reſurrectionem Domini, ducenteſimus & ſexageſimus annus impletus eſt, Probo Imperatore, Paulinoq; Coſſ.* Hȩc S.Leo. Incidit autem hic Probi Auguſti, & Paulini Conſulatus in annum Chriſti vulgarem 277. E quibus, ſi ſubtrahas 17. remanent anni illi 260. poſt reſurrectionem quidem Domini completi; ſed tamen ex die Natiuitatis Chriſti, iuxta Tertullianéam ſententiam, emergentes.

CAP. CCXXXIX.

Tametſi annus V.C. Tab. Cap. 765. quo Dio Caſſius deſcriptionem prȩdiorum in Syria factam refert, mihi, meȩque huic Chronologiȩ incidat in annum Chriſti vulgarem 18. Attamen, iuxta vulgares Coſſ. Faſtos, quin-

quennio redundantes, incidit in annum CHRISTI vulgarem 13. qui Constantinopolitanis, & plerisque Græcis est annus Incarnationis Christi decimus sextus. Idem quoque annus est primus Tiberij Proconsulis, hoc est, vnà cum Augusto, sed tamen in Prouincijs imperantis.

Cùm itaque Christiani Patres illi, qui annos Christi natalitios iuxta Constantinopolitanos, triennio ante vulgarem Epocham Christi adinchoant, è Fastis Consularibus colligerent annos illos ex eo consurgere tempore, quo Herodes Magnus adhuc in viuis erat, id quod Euangelium S. Matthæi requirit; noluerunt annis illis Incarnationis Christi vllo modo contradicere.

Contrà vero, cùm aduerterent, iuxta eosdem Consulares, vulgaresque Fastos, quos ipsi credebant certos, ratosque, prædiorum Orbis Romani descriptionem Quirinio Syriæ Præside factam in annum natalium CHRISTI 16. incidere; ac pro indubitato tenerent, ipsissimam hanc esse descriptionem illam, sub qua, iuxta Euangelium S. Lucæ, natus fuerit CHRISTVS, ex illis non defuerunt, qui ex hoc ipso 16. anno Natiuitatis CHRISTI, annum Christi primum exsurgere, atq; hinc numerandum esse censerent. Ne igitur harum ambarum opinionum præiudicarent alterutri; sed vt præterea vtriusque Euangelistæ D. Matthæi, scilicet, & S. Lucæ traditionem in considerationem ducerent, atque ob oculos ponerent; in eum finem nouam quandam numerandi tempora, per *Indictiones* videlicet adinuerunt rationem: quæ, in rei veritate à tempore quidem Natiuitatis, seu Incarnationis CHRITSI consurgere; tamen vtriusq; Euangelistæ traditioni videretur competere.

Atque hinc primos 15. Incarnationis CHRISTI annos, iuxta Constantinopolitanos, vocarunt quindecim Indictiones: & loco anni decimi sexti: (quoniam is in Orbis

bis illam descriptionem ad punctum videbatur coincidere:) rursus cœperunt ex integro quindecim Indictiones, per 15. annos consequentes computare: & sic porrò, per annorum quindenorum se consequentium seriem & interuallum.

Quæ quidem est verissima ratio & causa primæua, numerandi tempora per Indictiones; quam quidem indagarunt hucusque plurimi non tam anxiè, quàm curiosè; sed è latebris excussit nemo.

Nullum mihi quidem fuit vnquam, imò vix vllum posse videbatur esse dubium, isthanc per quindecim quosque annos, seu Indictiones numerandi tempora rationem, à Christianis Patribus inuentam & introductam. Id vel inde facili colligas negotio; quia Incarnationis Christi iuxta Constantinopolitanos, & plerosq; Græcos, nec paucos etiam Latinos, annus primus, vt puta ex anno ante vulgarem Epocham Christi consurgens tertio, ad punctum planè in primam incidit Indictionem. Dein; quia ipsum quoque Indictionis nomen subindicare, ac velut indice commonstrare videtur indictionem descriptionis illius, sub quâ natus fuit Christus. Demum; quia hæc per Indictiones numerandi tēpora ratio, non modò à S S. Patribus, Imperatoribus; verum etiam ab ipsis Patriarchis, & summis Pontificibus Romanis fuit vsurpata; imò & in antiquis Episcoporum Epitaphijs cernitur, vti Veronæ:

HIC REQVIESCIT IN PACE SANCTVS VALENS EPISCOPVS. RECESSIT SVB VIII. CAL. AVGVSTAS. POST CONSVLATVM LAMPADI ET ORESTIS VV. CC. IND. IX.

Quæ, indicant annum vulgarem Christi 531.

Semper igitur in hac fui sententia, rationem hanc per Indictiones numerandi, non nisi à Christianis inuentam, cum præsertim loco annorum Christi videantur Indictio-

nes inſertæ. Interim tamen ſæpenumero miratus ſum, quanam de cauſa, hæc numerandi per quindecim ratio, non ad plures, vel pauciores annos fuerit tributa? Longè verò maiorem, atque adeò incredibilem admirationem mihi iniecit manifeſta incertitudo, &, vti videbatur huius numerationis abſurditas. Temporis enim computus præcipuè ad certitudinem illorum eſt inuentus, adeoque in eum finem eſt dirigendus. Planè autem id incertum eſt, & ſi quis ſciat quidem, quotus quiſque annus ſit ex quindecim quibuſque annis, ſed interim ignorat, quota ſit illa ipſa de quâ agitur πεντεκαιδεκαετηρὶς: Præſertim verò, cùm in promptu fuerit exemplum numerandi tempora per Olympiades certum, atque indubitatum. Vt enim numeramus v. g. primum annum ſecundæ Olympiadis, ſeu quadriennij: ſic & in computo per πεντεκαιδεκαετηρίδας, potuiſſemus item certa ratione numerare annum primum ſecundæ πεντεκαιδεκαετηρίδος, ſeu Indictionis.

Cæterùm, ex manifeſtatione cauſæ, atque originis, huiuſcé per Indictiones numerationis, tandem apparet, non potuiſſe illos Indictionum tempora modo alio, quàm incerto illo, quo fieri ſolet, ſupputare. Si .n. v. g. Incarnat. Chriſti anno iuxta Cõſtãtinopolitanos decimo ſexto, (quo anno iuxta vulgares Faſtos Conſulares prędiorũ deſcriptio Orbis Romani coincidit) numeraſſent annum primum, ſecundæ Indictionis, potuiſſent videri Euangelio S. Lucæ præiudicaſſe. Quod ſi hoc ipſo anno annum primum Indictionis primæ numeraſſent; præiudiciũ feciſſent Euangelio S. Matthæi: Ideoque maluerunt nodum hunc ſartum quidem tectumque, imò & indetonſum & indeciſum, re integrâ, transmittere ad poſteros potius; quàm inconſultò præmaturè, ac fortè etiam intempeſtiuè difficultatem reſecare.

Hæc verò ratio numerandi tempora per Indictiones

tantæ inter Christianos fuit autoritatis, vt ipse Iustinianus Imperator, noluerit validum esse instrumentum, quod Indictionem insertam non obtineret. Nouella enim constitutio, quæ inter Græcas est 47. Anno Imperij sui vndecimo, post Consulatum Belisarij die 9. Calendas Iulij; (anno scilicet Christi vulgari 537.) sanciuit : *In omnibus Instrumentis inprimis poni annum Imperatoris, post Consules, tertio loco Indictionem, & inde mensem, ac diem :* subiungit verò mox : καὶ ἀρχέσθωσαν εὐθὺς ἀπὸ τῆς ἡγεμόνι θεῷ περιούσης πρώτης ἐπινεμήσεως : vt satis appareat in locum, vicemque annorum Christi subrogatam esse per Indictiones temporum notationem.

Et verò vigore huius Nouellæ, solemus etiamnum Instrumentis publicis Indictionem inserere : Quanquam præter Indictionem, quæ annorum CHRISTI rationem duplicem Constantinopolitanorum subindicat; nos hodie addimus annos Christi vulgares ab illis planè diuersos, quanquam ipsimet Indictionis originem, caussam, veram genuinamque notionem passim ignoremus: Eam tamen hîc ex Cimmerijs tenebris eductam, erutamque iuris publici facimus.

CAP. CCXL.

Quin, cùm Iosephus partis bonorum Archelai relegati publicationem, & prædiorum Orbis Romani descriptionem, in eundem annum conijcere videatur; non defuerunt Auctores, qui annos Incarnationis Christi ex anno Archelai decimo, quo re ipsa bona eius publicata sunt, numerarent. Incidit verò annus ille V. C. Tab. Cap. 763. in annum Christi vulgarem 16.

Et apud Georgium Cedrenum habetur : τῷ πρώτῳ Κωνσταντίνου ἔτει, τῆς δὲ θείας σαρκώσεως διακοσιοστῷ ἐννενηκοστῷ πρώτῳ. *Primo Constantini anno, diuinæ verò Incarnationis* 291. Annis enim his Christi Incarnat. 291. adde annos CHRISTI vulgares 15. plenos; & prodibit annus

Christi vulgaris 306. quo Constantinus Magnus cœpit imperare.

Cùm itaque numerandi annos Christi tanta fuerit varietas; alijs aliter, aliterque eos supputantibus; hinc minimè mirum est, in Annalium Francicorum fragmento, ab anno Domini 714. in annum vsque 793. Anno Domini 758. hæc subjici; *Et immutauit se numerus annorum.* Et anno Domini 759. *Et mutauit se numerus annorum.* Et anno 760. *Et immutauit se numerus annorum.* Et anno 761. *Et immutatus est numerus.* Et annis, 767. 770. & 777. *Et immutauit se numerus annorum.* Demum anno Domini 787. subiungitur; *Et immutauit se annus.*

CAP. CCXLI.

Cum ad anni certam inuestigationem, quo re vera, certò, citraque vllam controuersiam, CHRISTVS fuerit natus, plurimum videatur conducere S. Lucæ, cap. 2. v. 2. locus; operæ pretium hîc facturus videor, si eundem paulùm accuratius expendero, & à difficultatibus, quæ circumsident, expediero. Verba Euangelistæ sunt: Ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. αὕτη ἡ ἀπογραφὴ, πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio, prima facta est, Præside Syriæ Quirenio.* Hæc D. Lucas.

Quæ quidem Euangelistæ verba, omnes hucusq; quod equidē sciam, & quos mihi videre contigit, omnium gentium locorumque Auctores, Græci, Latini, editi & inediti manuque scripti, eo accepère sensu, quasi hæc descriptio, & prima fuerit, & facta illo ipso tempore, quo Syriæ Quirenius præesset.

Cæterùm, pace omnium dixerim, videtur mihi hæc Euangelistæ sententia, nouo quidem, sed eiusmodi sensu posse accipi, vt huius ope ac subsidio, illud omne ἐναντιοφανὲς

φανὲς, quod plerosq; torquet, tollatur, & vulgaris annorum tam nati, quàm pro nobis Christi mortui traditio, quam sacrosancta nostra Catholica, Romæ fundata Ecclesia, & tenet, approbat, constanterq; sequitur, nullo negotio, sed è fundamento potius veritatis defendi queat: nimirum συγκριτικῶς, *Comparatiuè*: vt hoc loco, Genitiuus ἡγεμονεύοντος, vocabulo πρώτη additus, vim comparationis efficiat; & perinde sit, ac si diceretur; Descriptionem illam esse priorem, priusque factam, quàm Quirenius Syriæ præficeretur, præfecturamq; ipsius gereret. Hanc sententiam vt firmam, veramque credam, primùm, triginta quatuor, quæ ordine subjiciam, adducor argumentis.

I. Inprimis hæc D. Euangelistæ phrasis redolere videtur Hebraismum; atque ab Hebræis ad sacras potissimum literas; inde verò & ad prophanos transijsse Auctores. Caret quippe Hebræa lingua Comparatiuo: (vti etiam Superlatiuo.) Itaque Comparatiuum non nisi adiectione cuiusdam aliûs particulæ, ex Positiuo potest, & solet efficere. Est autem hæc particula præpositio MIN, hoc est a, vel, ab. Ita verò Comparatiuus efficitur, vt hæc præpositionis particula MIN, non positiuo, sed dictioni alteri, quæ significat rem, quæ superatur, sit præponenda. Constituit verò hæc præpositio מִן (seu) מ si sequatur Dagesch, ablatiuum, seu pro Ablatiuo capitur casu: Vt, exempli causa יוֹחָנָן טוֹב מִכֵּפָא; hoc est, si quidē verbū verbo reddatur; *Ioannes bonus præ Petrô*. Re autē verâ reddique & efferri debet; *Ioannes est melior Petro*. Ita se res habet in D. Lucæ adducto loco: sententia enim est, vt eandem e. c. inculcem; *Hæc descriptio dicitur prima facta, gubernante Syriam Quirenio*: quòd videlicet prius facta sit, quam Syriæ præficeretur Quirenius.

II. Quia, vsitatissimum est, in sacris præsertim literis,

teris, vt καὶ ἐναλλαγὴν, Positiuus sub comparitiui capiatur significatu. Sic in Psalmo 117. v. 8. & 9. iuxta LXX. est Interpretes; ἀγαθὸν πεποιθέναι ἐπὶ κύριον, ἢ πεποιθέναι ἐπ' ἄνθρωπον, ἀγαθὸν ἐλπίζειν ἐπὶ κύριον, ἢ ἐλπίζειν ἐπ' ἄρχουσι. hoc est; *Bonum est confidere in Domino, quàm in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus.* At S. Hieronymus, vt solet, Hebraismo expresso, rectè reddidit ad sensum, & sententiam loci; *Melius est confidere in Domino, quàm in homine; Melius est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus.*

III. Et verò SS. Patres censent vuiuersim, hunc Hebraismi idiotissimum, ferè proprium esse sacrorum Bibliorum. Eum vsurpat in Verbi etiam vocula S. Paul. 1.Corinth.c.14.v.19. Ἀλλ' ἐν ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι, ἵνα, καὶ ἄλλους κατηχήσω, ἢ μυρίους ἐν γλώσσῃ. *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam; quàm decem millia verborum in lingua.* Quo in loco Paulino (VOLO) capitur, poniturq; pro, (*magis volo,*) seu malo.

IV. Idem Hebraismus in eôdem S. Lucæ Euangelio, comparet frequentius. Cap. enim 15. v. 7. ita habetur: οὕτω χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐννενήκοντα ἐννέα δικαίοις, οἵ τινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας. *Ita gaudium erit in cælis super vno peccatore pænitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pænitentia.* Ita sentit transtulitq; S. Hieronymus, eumq; tuetur sensum, quem Syriaca exprimit translatio: *Ita fore gaudium in calo super vno peccatore, qui pæniteat,* (maius,) *quàm super 99. iustis.* Itaq; positiua locutio χαρὰ ἔσται ἤ, capienda est pro comparatiua, quasi dicatur, μείζων χαρὰ ἔσται ἤ.

Apud eundem D. Lucam cap. 18. v. 14. de Publicano ratione Pharisæi, dicitur: κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ γὰρ ἐκεῖνος: *Descendit hic iustificatus in domũ suam ab illo.* Quem item locum ita reddidit S. Hieronymus, eoq; sensu,

ſenſu, quem Syriaca interpretatio clarius hiſce extulit; *Deſcendit iſte iuſtificatus in domum ſuam, potius, quàm Periſchaus ille.* Itaque δεδικαιωμένος ἢ γὰρ ἐκεῖνος dicitur in poſitiuo, ſenſu tamen comparatiui accipi debet; pro, δεδικαιωμένότερος ἐκείνου, ſeu, ἢ γὰρ ἐκεῖνος.

Etiam Luc. 6. v. 9. hæc verba; ἐπερωτήσω ὑμᾶς, τί ἔξεστι τοῖς σάββασι, ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σῶσαι, ἢ ἀπολέσαι; *Interrogo vos, ſi licet Sabbatis benefacere, an male? animam ſaluam facere, an perdere?* non niſi ſub Comparatiui ſenſu & ſententia ſunt accipienda: vt ſit, τί ἔξεστι, pro, τί μᾶλλον ἔξεστι.

V. Sic & apud Menandrum, καλὸν τὸ μὴ ζῆν, ἢ ζῆν ἀθλίως ἀεί. *Satius eſt non viuere, quàm viuere miſerè ſemper.*

VI. Quin & Superlatiuus, nec rarò, pro comparatiuo vſurpatur. Ariſt. τὰ ἄρρενα κυούμενα κινητικώτατα ἐστὶ τῶν θηλέων. *Maſculi in vtero longè mobiliores ſunt, quã femellæ:* Sophocles: ὥσπερ κράτιστον κτημάτων εὐβουλία, *quantò præſtantius ſalutare conſilium, quàm opes.* Porrò hic hebraiſmus, & pariter helleniſmus longè magis apparet in voce πρῶτος; vt eam pro comparatiuo capiamus; cùm aliòqui vim habeat comparatiui. Dicitur enim aliàs & πρότερος, & πρώτιστος, ſeu πολὺ πρῶτος, ac πολὺ πρώτιστος. Quin & ſuperlatiui vim habet πρῶτος. nam verè primò, non eſt, daturque prior.

VII. Sed & Aduerbium πρῶτον, nonnunquam pro *priori*, ſenſuque Comparatiui accipi, exempli loco ſit illud apud Alexand. Aphrodiſæum, vel Auctorem problematũ, vbi ait; ἡ πληγὴ πρῶτον τῆς ἀστραπῆς τὴν βροντὴν ἀποτελεῖ, ἢ ἅμα. *Ictus prior fulgetra tonitru perficit, aut ſimul.* ſcilicet fit. Et apud Ariſt. in Rhetor. πρῶτον ἤ, pro, *priuſquam.*

VIII. In ſacris porrò, vox πρῶτος, πρώτη πρῶτον, pro *priori* accipi, plurima ſunt exempla. Luc. 11. v. 26. de immundo ſpiritu, qui aſſumptis 7. ſpiritibus immundioribus ſe, reuertitur, ita habetur; καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκεί-

teris, vt καὶ ἐναλλαγὴν, Positiuus sub comparitiui capiatur significatu. Sic in Psalmo 117. v. 8. & 9. iuxta LXX. est Interpretes; ἀγαθὸν πεποιθέναι ἐπὶ κύριον, ἢ πεποιθέναι ἐπ' ἄνθρωπον, ἀγαθὸν ἐλπίζειν ἐπὶ κύριον, ἢ ἐλπίζειν ἐπ' ἄρχουσι. hoc est; *Bonum est confidere in Domino, quàm in homine. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus.* At S. Hieronymus, vt solet, Hebraismo expresso, rectè reddidit ad sensum, & sententiam loci; *Melius est confidere in Domino, quàm in homine; Melius est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus.*

III. Et verò SS. Patres censent vuiuersim, hunc Hebraismi idiotissimum, ferè proprium esse sacrorum Bibliorum. Eum vsurpat in Verbi etiam vocula S. Paul. 1. Corinth. c. 14. v. 19. ἀλλ' ἐν ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι, ἵνα, καὶ ἄλλους κατηχήσω, ἢ μυρίους ἐν γλώσσῃ. *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam; quàm decem millia verborum in lingua.* Quo in loco Paulino (VOLO) capitur, ponitur q; pro, (*magis volo,*) seu malo.

IV. Idem Hebraismus in eôdem S. Lucæ Euangelio, comparet frequentius. Cap. enim 15. v. 7. ita habetur: οὕτω χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐννενήκοντα ἐννέα δικαίοις, οἵ τινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας. *Ita gaudium erit in cælis super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Ita sentit transtulitq; S. Hieronymus, eumq; tuetur sensum, quem Syriaca exprimit translatio: *Ita fore gaudium in cælo super vno peccatore, qui pœniteat,* (maius,) *quàm super 99. iustis.* Itaq; positiua locutio χαρὰ ἔσται ἤ, capienda est pro comparatiua, quasi dicatur, μείζων χαρὰ ἔσται ἤ.

Apud eundem D. Lucam cap. 18. v. 14. de Publicano ratione Pharisæi, dicitur: κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ γὰρ ἐκεῖνος: *Descendit hic iustificatus in domũ suam ab illo.* Quem item locum ita reddidit S. Hieronymus, eoq; sensu,

sensu, quem Syriaca interpretatio clarius hisce extulit; *Descendit iste iustificatus in domum suam, potius, quàm Pertschaus ille.* Itaque δεδικαιωμένος ἢ γὰρ ἐκεῖνος dicitur in positiuo, sensu tamen comparatiui accipi debet; pro, δεδικαιωμένεστερος ἐκείνου, seu, ἢ γὰρ ἐκεῖνος.

Etiam Luc. 6. v. 9. hæc verba; ἐπερωτήσω ὑμᾶς, τί ἔξεστι τοῖς σάββασι, ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σῶσαι, ἢ ἀπολέσαι; *Interrogo vos, si licet Sabbatis benefacere, an male? animam saluam facere, an perdere?* non nisi sub Comparatiui sensu & sententia sunt accipienda: vt sit, τί ἔξεστι, pro, τί μᾶλλον ἔξεστι.

V. Sic & apud Menandrum, καλὸν τὸ μὴ ζῆν, ἢ ζῆν ἀθλίως ἀεί. *Satius est non viuere, quàm viuere miserè semper.*

VI. Quin & Superlatiuus, nec rarò, pro comparatiuo vsurpatur. Arist. τὰ ἄρρενα κυούμενα κινητικώτερα ἐστὶ τῶν θηλέων. *Masculi in vtero longè mobiliores sunt, quã femellæ:* Sophocles: ὥσπερ κράτιστον κτημάτων εὐβουλία, *quantò præstantius salutare consilium, quàm opes.* Porrò hic hebraismus, & pariter hellenismus longè magis apparet in voce πρῶτος; vt eam pro comparatiuo capiamus; cùm aliòqui vim habeat comparatiui. Dicitur enim aliâs & πρότερος, & πρώτιστος, seu πολὺ πρῶτος, ac πολὺ πρώτιστος. Quin & superlatiui vim habet πρῶτος. nam verè primò, non est, daturque prior.

VII. Sed & Aduerbium πρῶτον, nonnunquam pro *priori*, sensuque Comparatiui accipi, exempli loco sit illud apud Alexand. Aphrodisæum, vel Auctorem problematũ, vbi ait; ἡ πληγὴ πρῶτον τῆς ἀστραπῆς τὴν βροντὴν ἀποτελεῖ, ἢ ἅμα. *Ictus prior fulgetra tonitru perficit, aut simul,* scilicet fit. Et apud Arist. in Rhetor. πρῶτον ἤ, pro, *priusquam.*

VIII. In sacris porrò, vox πρῶτος, πρώτη πρῶτον, pro *priori* accipi, plurima sunt exempla. Luc. 11. v. 26. de immundo spiritu, qui assumptis 7. spiritibus immundioribus se, reuertitur, ita habetur; καὶ γίνεται τὰ ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου

ἐκείνου χείρονα τῶν πρώτων. quæ verba quoq; habentur Matth. 12.v.45. atq; vtrobiq; S. Hieronymus ita transtulit; *Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*. Nec verò alio sensu capi potest: cùm τὰ πρῶτα, seu Natiuitatis tempus in illo homine in considerationem non veniant. Πρῶτα igitur hoc loco, etiam S. Hieronymi testimonio, pro *prioribus* duntaxat accipiuntur. Lucæ dein 13.v.30. καὶ ἰδοὺ εἰσὶν ἔσχατοι, οἳ ἔσονται πρῶτοι. καὶ εἰσὶ πρῶτοι, οἳ ἔσονται ἔσχατοι. Et Matth. 19. v. 30. πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι, ἔσχατοι, καὶ οἱ ἔσχατοι, πρῶτοι. Et rursus cap. 20. v.16. οὕτως ἔσονται οἱ ἔσχατοι πρῶτοι, καὶ οἱ πρῶτοι. ἔσχατοι. Marci 10. v. 13. πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι, καὶ οἱ ἔσχατοι πρῶτοι. In his, inquam locis Euangelistarum omnibus, nomine τῶν πρώτων, non vtiq, significantur illi, qui omnium absolutè primi sunt, sed omnes nouissimis *priores*: sicq; voce τῶν πρώτων accipiuntur priores quiq; mercenarij, quibus de, ibidem agitur; qui nimirum summo mane venerant; & qui circa tertiam & sextam, & nonam venerant, prout ibi recensentur.

Idem S. Lucas suum Actuum Apostolicorum librum ita orditur; τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην, &c. Quo loci, per *priorem* vtique sermonem suum, Euangelium intelligit. Cap. verò 27. v. 43. hæc habet eodem libro; ἑκατόνταρχος ἐκέλευσε τοὺς δυναμένους κολυμβᾶν, ἀποῤῥίψαντες πρώτους ἐπὶ τὴν γῆν ἐξιέναι, καὶ τοὺς λοιποὺς ἐπὶ σανίσιν. Vbi in effectu, & re ipsa per τοὺς πρώτους intelligit προτέρους, seu potius, τὸ πρότερον, hoc est, *priùs*. Voluit enim, vt ij, qui natare possent *priùs* enatarent.

I X. Matthæi 21. v. 34. habetur: ἀπέστειλε τοὺς δούλους αὐτοῦ: mox verò v. 35. subiungitur; πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους δούλους πλείονας τῶν πρώτων. Quem locum item S. Hieronymus ita reddidit; *Plures prioribus*. Nec Syri aliter transtulerunt. Et Matth. 27. vbi Iudæi à Pilato petunt custodiri sepulcrum ad tertiũ vsq, diem, ne discipuli ablato Magistri

gistri corpore, dicant plebi, eum à mortuis resurrexisse; ista subduntur: καὶ ἔσαι ἡ ἐσχάτη πλάνη χείρων τῆς πρώτης. Vbi cùm S. Hieronymus, tum Syri vertunt; *peior priore*. Ioannes etiam c.5.c.v.4. ὁ πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος, ὑγιὴς ἐγίνετο. quem locum S. Hieron. reddit; *qui prior descendit in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat*. Illud etiam eiusdem D. Ioann. 19. v. 32. ἦλθον οὖν οἱ στρατιῶται, καὶ τοῦ μὲν πρώτου κατέαξαν τὰ σκέλη, καὶ τοῦ ἄλλου τοῦ συσταυρωθέντος αὐτῷ, S. Hieronymus vertit: *Venerunt ergò milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo:* quasi dicat, *& prioris & posterioris:* Vnde Syri reddunt; *Prioris & alterius*. S. Paulus ad Hebr. 8. v. 7. εἰ γὰρ ἡ πρώτη ἐκείνη (διαθήκη) ἦν ἄμεμπτος, οὐκ ἂν δευτέρας ἐζητεῖτο τόπος: vbi S. Hieronymus; *nam si illud prius* (testamentum) *culpâ vacasset, non vtique secundi locus requireretur*. Et Syri; *nam si illud prius culpa non fuisset obnoxium, nullus relictus fuisset huic secundo locus*. Ibidem sub eiusdem cap. finem: ἐν τῷ λέγειν καινὴν, πεπαλαίωκε τὴν πρώτην. Quo loci, S. Hieronymus, sed & Syri vertunt: *Prius*: vt & sequenti cap. rectà sub initium; εἶχε μὲν οὖν, καὶ ἡ πρώτη σκηνὴ δικαιώματα λατρείας: illud, ἡ πρώτη S. Hieron. reddit; *Prius*. Et mox versu 15. ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ: idem S. Hieron. vertit; *sub priore Testamento*. In eâdem ad Hebr. Epist. c. 9. v. 1. & 8. v. 15. vertit semper & constanter, *Prius*. Et 1. Cor. 14. v. 3. ἐὰν δὲ ἄλλῳ ἀποκαλυφθῇ, ὁ πρῶτος σιγάτω: Vbi S. Hieron. & Syri vertunt, *Prior*. Et 2. Pet. 2. v. 20. γέγονεν αὐτοῖς τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων. S. Hieron. vertit; *facta sunt eis posteriora deteriora prioribus*. Et illud 1. Ioan. 4. v. 19. ἡμεῖς ἀγαπῶμεν αὐτὸν, ὅτι αὐτὸς πρῶτος ἠγάπησεν ἡμᾶς: D. Hieron. transfert; *Nos ergò diligamus DEVM, quoniam DEVS prior dilexit nos*. Id Apocal. 2. v. 19. οἶδα τὰ ἔργα σου, τὰ ἔσχατα πλείονα τῶν πρώτων: à S. Hieron. redditur; *Noui opera tua nouissima plura prioribus*. Eiusdē Apoc. c. 13. v. 12. καὶ τὴν ἐξουσίαν τοῦ πρώτου θηρίου

πᾶσαν ποιεῖ ἐνώπιον αὐτοῦ: idem D. Hieron. vertit; *Et potestatem Prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu eius.* Denique, in Testamento passim Veteri, πρῶτος, vertitur, *Prior.*

X. In Euangelio S. Ioan. c. 1. v. 15. & eôdem v. 30. adiectiuum πρῶτος cum genitiuo iunctum, pro *Priori* accipitur. Namque illud; ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ὅτι πρῶτός μου ἦν, S. Hieron. reddit; *ante me factus est, quia Prior me erat:* Nec aliter Syri; *fuit ante me, quoniam Prior me est.*

XI. Habetur Ioann. 20. v. 4. & 8. Mariam Magdalenam venisse *primam* ad monumentum; inde verò regressam, indicasse Petro & Ioanni, Dominum de monumento esse ablatum; vnde, de Petro & Ioanne, hæc subdũtur: ἔτρεχον δὲ οἱ δύο ὁμοῦ, καὶ ὁ ἄλλος μαθητὴς (Ioannes) προέδραμε τάχιον τοῦ Πέτρου, καὶ ἦλθε πρῶτος (subintellige τοῦ Πέτρου: Petro enim prior, vel prius venerat; nequaquam vero simpliciter, citraque comparationem, primus: quippè, cùm Maria Magdalena prior eò venisset:) εἰς τὸ μνημεῖον. Et ver. 8. subiungitur; καὶ ὁ ἄλλος μαθητὴς ὁ ἐλθὼν πρῶτος (subintellige hîc rursus, Πέτρου:) εἰς τὸ μνημεῖον. Tametsi verò S. Hieron. vtrobique vertat *Primus*; tamen, non intelligit absolutè primum, sed comparatione Petri sequentis: Syri proinde, vtrobique, *Priorem*, reddidêre.

XII. Sic τὸ πρῶτον, ἐπίρρημα, in sacris passim literis, non significat absolutè primùm, seu primò; sed, sæpenumero significat *Prius*, ita vt potius capiatur Comparatiui sensu & sententia. Luc. 6. v. 42. ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου, καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν τὸ κάρφος, τὸ ἐν ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου. *Est; Eijce Prius trabem ex oculo tuo.* Lucæ item 9. v. 59. Ἐπίτρεψόν μοι ἀπελθόντι πρῶτον θάψαι τὸν πατέρα μου. *Permitte mihi abeunti, Prius sepelire patrem meum.* Eôdem, v. 61. πρῶτον δὲ ἐπίτρεψόν μοι ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου. *Permitte mihi primum* (pro, prius) *renuntiare his, qui domi sunt.* Vbi Syri vtrobique vertunt, *Prius.* Luc. 11. v. 38. ὁ δὲ

ὁ δὲ Φαρισαῖος ἰδὼν ἐθαύμασεν, ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη πρὸ τοῦ ἀρίστου: Quem locum S. Hieron. reddit; *Pharisæus autem cæpit intra se reputans dicere; quare non baptizatus esset ante prandium:* Nec Syri reddunt alio sensu; *Ille verò Pharisæus cum vidisset eum, miratus est, quod non Prius abluisset sese ante prandiũ suum.* Luc. item 17. v. 25. πρῶτον δὲ δεῖ αὐτὸν πολλὰ παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης: Vbi Syri quoque vertunt, *Prius.* Et, 14. v. 38. τίς γὰρ ἐξ ὑμῶν, ὁ θέλων πύργον οἰκοδομῆσαι, οὐχὶ πρῶτον καθίσας πρῶτον βουλεύεται, εἰ δυνατός ἐστιν. Etiam hîc vtrobique tam D. Hieron. quàm Syri τὸ πρῶτον, vertunt, *Prius.* Sed & illud Matth. 5. v. 24. ὕπαγε, πρῶτον διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου, καὶ τότε ἐλθὼν πρόσφερε τὸ δῶρόν σου: iidem, πρῶτον, reddunt, *Prius.* In eôdem Euangelista 12. v. 26. πῶς δύναταί τις εἰσελθεῖν εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἰσχυροῦ, ἐὰν μὴ πρῶτον δήσῃ τὸν ἰσχυρόν; quod repetitur Marci 3. v. 27. vocula πρῶτον, ponitur disertè, pro, *Prius.* Sic Matthæi 23. v. 26. Φαρισαῖε τυφλὲ, καθάρισον πρῶτον τὸ ἐντὸς τοῦ ποτηρίου, καὶ τῆς παροψίδος, ἵνα γένηται, καὶ τὸ ἐκτὸς αὐτῶν καθαρόν. Vbi quoque S. Hieronymus illud πρῶτον, reddit, *Prius.* Et illud Marci 7. v. 27. ἄφες πρῶτον χορτασθῆναι τὰ τέκνα: S. Hieronymo redditur; *Sine prius saturari filios.* Etiam hîc Syri consentiunt. Sed & 1. Cor. 15. v. 46. ἀλλ' οὐ πρῶτον τὸ πνευματικὸν, ἀλλὰ τὸ ψυχικὸν, ἔπειτα τὸ πνευματικόν. Vbi quoq; S. Hieronymo. τὸ πρῶτον; est, *Prius.* Veteris Testamenti loca, vt his similia, prætereo. Quare, si aduerbium πρῶτον in Sacris literis, vbique ferè pro *Priori* accipitur, cur non & nomen πρῶτος, pro priori capiatur?

XIII. Ille verò S. Ioannis. 15. v. 18. locus, ad hoc institutum nostrum mirificè facit; εἰ ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ, γινώσκετε, ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν. Eum S: Hieron. ita vertit: *Si mundus vos odit, scitote; quia me Priorem vobis odio habuit.* Et Syri; *Quod si mundus oderit vos; scitote, quod Prius, quàm vos, me odio habuerit.* Itaque si hoc in loco illud πρῶτον ὑμῶν

nom interpretamur *primum vestrum*, seu, *primum è vobis*, (vti nec fieri potest, aut debet) sed, *priorem vobis*, seu *priorem*, vel, *prius* quàm vos; cur non & illud Lucæ 2. v. 2. quod produximus, & hucusque probamus; αὕτη ἡ ἀπογραφὴ, πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου; ita reddamus; *Hæc autem descriptio prior fuit, vel facta est, Quirinio Præsidem Syriæ agente?* Certè vtroque loco adiectium nomen πρῶτος, æquè iungitur genitiuo.

XIV. Matth. 18. v. 8. & 9. καλόν σοί ἐστιν, εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν, χωλὸν ἢ κυλλὸν, ἢ δύο χεῖρας, ἢ δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον. Καλόν σοί ἐστι μονόφθαλμον εἰς τὴν ζωὴν εἰσελθεῖν, ἢ δύο ὀφθαλμοὺς ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός. *Bonum tibi est ad vitam ingredi mancum vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Bonum tibi est, vnum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in Gehennam ignis.* Hîc enim καλὸν, sensu potius pro Comparatiuo, quàm positiuo ponitur. Marci 9. v. 43. & 44. sed & 47. similis occurrit Phrasis.

XV. Sic Matth. 23. v. 15. Christus scribis Phærisæisq; dicit; ποιεῖτε αὐτὸν υἱὸν γεέννης διπλότερον ὑμῶν. *Facitis filium Gehennæ duplo vobis*, hoc est, duplo magis, quàm vos. Et S. Paulus ad Ephes. 3. v. 20. Τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν.

XVI. Sed nec Latina ipsa Lingua huiuscemodi hebraismos, vel hellenismos (cùm locutio positiua, vim obtinet comparatiuam) aspernari solet. Marcus Antoninus Imp. teste Vulcatio Gallicano in vita Auidij Cassij, rescripsit Vero fratri: *Quod dicis, liberis meis cauendum esse morte illius; planè liberi mei pereant, si magis amari merebitur Auidius, quàm illi; &, si Reip. expediet, Cassium viuere, quàm liberos Marci.* Vbi, vox *expediet*, ita capi, atque intelligi debet comparatiuè, quasi dicat Imp. *magis expediet*.

XVII. Quin & in alijs quoq; loquendi generibus, apud auctores Græcos Veteres, comparationis particula

sub-

ſubinde non expreſsè ponitur, ſed potius ſubauditur. Vnde Sophocles in ſuo Philoctete Neoptolemũ introducit querentem, Vlyxem aſſenſu Menelai atq; Agamemnonis, arma patris ſui Achillis abſtuliſſe; ac mox iſta ſubijcit: Κοὐκ αἰτιῶμαι κεῖνον ὡς τοὺς ἐν τέλει. *Et non accuſo iſthunc* (Vlyxem) quã Principes; (Agamemnona ſcilicet ac Menelaum;) quò loci omninò ſubintelligẽda particula *tam*, ſeu *tantoperè*. Rectè igitur in priſcis ad hunc locũ ſcholijs, hæc habetur paraphraſis: καὶ οὐ μέμφομαι τοσοῦτον τῷ ὀδυσσεῖ· ὅσον τοῖς περὶ Ἀγαμέμνονα. Nec, omittit cauſam Sophocles: Πόλις γάρ ἐστι πᾶσα τῶν ἡγουμένων. *Vrbs enim tota eſt Principum.*

XVIII. Diogenes etiam Laërtius, & ante ipſum Ariſtippus, refert de Clinia dixiſſe Xenophontem; τυφλὸς τῶν ἄλλων ἀνθρώπων πάντων δεξαίμην ἄν, ἢ Κλεινίου ἑνὸς ὄντος, γενέσθαι. *Cæcus ex omnibus hominibus* (eſſe) *deligerem, quàm vnicum Cliniam.* Subintelligitur enim etiam hîc comparationis particula. *potius* vel *magis.*

XIX. Æſchylus in Prometheo; ὡς οὐ κατ' ἰσχὺν, οὐδὲ πρὸς τὸ καρτερὸν χρὴ ἢ δόλῳ τοὺς ὑπερέχοντας κρατεῖν: *Quod non per vim, neq; per potentiam* (ſubaudi POTIVS) *Oportet, quàm dolo, eos, qui ſuperiores ſunt, vincere.*

XX. Ille verò locus Ariſtotelis eſt ſingularis. Eum receſet Athenæus lib. 11. pag. 505. ὁ Πλάτων, ait, ἐκ μὲν τῆς πολιτείας Ὅμηρον ἐκβάλλων, καὶ τὴν μιμητικὴν, ποίησιν, αὐτὸς δὲ τοὺς διαλόγους μιμητικῶς γράψας ὧν τῆς ἰδέας οὐδ᾽ αὐτὸς εὑρετής ἐστιν. πρὸ γὰρ αὐτοῦ. εὗρε τὸ εἶδος τῶν λόγων ὁ τήιος Ἀλεξάμενος, ὡς Νικίας ὁ Νικαεὺς ἱστορεῖ καὶ Σωτίων. Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῷ περὶ Ποιητῶν, οὕτως γράφει. Οὐκοῦν οὐδὲ ἐμμέτρους τοὺς καλουμένους Σώφρονος μίμους, μὴ φῶμεν εἶναι λόγους, καὶ μιμήσεις, ἢ τοὺς Ἀλεξαμένου τοῦ τηΐου τοὺς πρώτους γραφέντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων. ἀντικρυς φάσκων ὁ πολυμαθέστατος Ἀριστοτέλης, πρὸ Πλάτωνος διαλόγους γεγραφέναι τὸν Ἀλεξάμενον. Hæc quidem Athenæus: Vbi ſanè verba illa Ariſtotelis τοὺς γραφέντας τῶν

Σωκρα-

Σωκρατικῶν διαλόγων, Athenæus hisce interpretatur; τοὺς (πρότερον γραφέντας) πρὸ Πλάτωνος διαλόγους. Plato enim in suis Dialogis introducit Socratem, qui hortetur iuuenes, Sophistas redarguat, viros doceat; Vnde, haud immeritò vocantur Socratici.

Athenæi verò Interpres hanc hellenismi phrasin minime capiens, ita interpretatur, ac si Alexamenus, perinde vti Plato, Socraticos conscripserit dialogos, quanquam ante Platonem: sed planè perperam ita locum accipit & interpretatur: Vnde & Diog. Laëtius in vita Platonis; Διαλόγους, ait, φασὶ πρῶτον γράψαι Ζήνωνα τὸν Ἐλεάτην. Ἀριστοτέλης δὲ ἐν πρώτῳ περὶ ποιητῶν Ἀλεξάμενον Στυρέα, ἢ Τήιον, ὡς καὶ Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονεύμασι. Quemadmodum igitur Aristoteles Alexameni dialogos prius scriptos, quàm Plato suos Socraticos conscripsisset, vocat τοὺς πρώτους γραφέντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων; Sic D. Lucas, de Orbis Romani descriptione prius facta, quàm Cyrenius præesset Syriæ, hæc verba subdidit; αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.

XXI. Diogenes Laërtius de Empedocle; μηδενὸς ἑτέρου μνεία γέγονεν ἐν τῇ ὁμιλίαις, ὅση Ἐμπεδοκλέους. *Nullius aliûs mentio facta in sermocinationibus* (subaudi tanta) *quanta Empedoclis.*

XXII. Agatharchides, teste Photio Patriarcha (pag. 722.) Πᾶς, ait, ποιητὴς ψυχαγωγίας, ἢ ἀληθείας ἐστὶ στοχαστής. *Omnis*, inquit, *Poeta, voluptatem, quàm veritatem pro scopo habet.* Vbi similiter vocula, *magis*, aut *potius*, subauditur.

XXXIII. Virgilius lib. 10. Æneidos de Mezentio Tyranno:

Turbidus ingreditur campo, quàm magnus Orion: hoc est, Grammaticorum sensu & consensu, *Magis* turbidus.

XXIV. Cornel. Tacitus 1. Annali. *Pacem, quàm bellum*

bellum probabam. Idem lib.4. *Agrippa, claris maioribus, quàm vetustis.* Et historiar.lib.3. *Strenuus bello, quàm bonus.* Et lib.4. *Is se è maioribus suis hostis populi Romani, quàm socius iactabat.* Cur. lib.7. *Non me ars mea, quàm beneuolentia perturbat.* Laberius Mimus: *Consistes ægrè, & quàm descendas, decides*: subauditur enim & hic (vt in superioribus) *potius*; seu, *citius* decides, quàm descendas. Plaut. Rud: Act. 4. Scena. 4. *Tacita bona est mulier semper, quàm loquens.* Idem Menechm. Act. 5. sc. 1. *Quin vidua viuam, quàm tuos mores perferam.* Et: *Certum est mori, quàm hinc pati Lenonem in me grassari.*

XXV. Sed & in voculis (amplius, plus, minus,) eâdem hellenismi phrasi omitti solet, vox ipsa comparatiua (quàm) Vnde iuxta editiones Manutij, ac Lambini Cic. ad Attic. 130.b. *Itaq; non amplius XIV. cohortes Luceriam coëgi.* Verrina prima 78. b. *Cùm eum Syracusis amplius centum ciues Romani cognoscerent.* Et Act. 7. *Qui, cùm amplius centum ciues Romanos haberent.* Et Attic. 31. b. *Qui ager hominum non amplius quinq; millia potest sustinere.* Pro Flacco 156. a. *Qui septingentos amplius iam annos regnant.* Pro Q. Roscio; 46. a. *Tu hoc nomen in aduersarijs triennium amplius iacere pateris.* Ibid. *Amplius sunt sex menses.* In eadem Orat. *Amplius triennium est.* Cæs. lib. 4. de bell. Gall. *Cùm ipsi non amplius quingentos equites haberent.* 5. belli Gall. *Naues amplius octingenta.* 3. de bello Ciu. *In eo prælio non amplius ducẽtos milites desiderauit.*

XXVI. Idem videre est in vocabulo (*plus*) Cic. Att. 193. a. *Non plus annuum possunt assequi quod volo.* Attic. 68. a. *Vt hoc nostrum desiderium ne sit plus annuum.* Et, 95. b. *Hoc est, non plus annum obtinere prouinciam.* Terent. in Adelph. *Homini misero plus quingentos colaphos infregit.* Vitruu. *Ita à pariete distent, vt, ne plus pateant palmum.* Idem: *Ne plus pedes binos distent.* Liu. de bello Macedon. *Aberat eorum acies paulò plus quingentos passus.* Idem; *Paulò plus viginti millium alius exercitus fuit.* Cic. 2. Tuscul. quæst. *Ferre plus dimidiati mensis cibaria.*

XXVII. Idem hellenifinus locum habet in voce, *minus*: Cicer. in Verrem, 141. b. *Senatores triginta non minus, adsint.* Ad Attic. 124. a. *Minus multa dederunt pignora.* Liu. de bello Pun. 11. *Nunquam nix minus quatuor pedes alta iacuit.* Cæs. 7. belli Gall. *Eo die milites sunt minus septingenti desiderati.*

XXVIII. Sed maioris argumenti hoc loco, & momenti præstat illud, quod est Genes. 49. v. 12. in Vaticinio S. Iacobi: λευκοὶ οἱ ὀδόντες αὐτοῦ ἢ γάλα. *Albi dentes ipsius quàm lac*: pro, λευκότεροι.

XXIX. Et Oseæ 2. v. 6. ὅτι καλῶς μοι ἦν τότε, ἢ νῦν. Tob. 6. v. 12. τὴν κληρονομίαν σοι καθήκει λαβεῖν, ἢ πάντα ἄνθρωπον. Et c. 12. v. 8. Ἀγαθὸν τὸ ὀλίγον μετὰ δικαιοσύνης, ἢ πολὺ μετὰ ἀδικίας.

XXX. Cant. 1. Ἀγαθοὶ μαστοί σου ὑπὲρ οἶνον. *Bona vbera tua vino*: Id est, vt rectè vetus Interpres; *Meliora vino*.

XXXI. Iliados α. v. 117:

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.
Volo ego populum saluum esse, quàm perire:

hoc est; magis volo, seu, malo. Sic & illud capiendum;

Αἰακίδαι πολέμῳ κεχαρηότες, ἠέ περ δαιτί.
Aeacidæ bello gaudentes, quàm conuiuio.

XXXII. Lucianus in Iouis Tragœdi extremo; ὥστε καὶ αὐτὸς ἐβουλόμην ἂν ἕνα τοιοῦτον ἔχειν, οἷον τὸν Δᾶμιν, σύμμαχον, ἢ μυρίας μοι Βαβυλῶνας ὑπάρχειν. *Itaq; ipse etiam malim vnum eiusce modi habere, qualis est Damis, auxiliarem; quàm innumeras obtinere Babylonas.*

XXXIII. Plutar. in Alexand. Magni ad Aristotelem Epist. Ἐγὼ δὲ βουλοίμην ἂν ταῖς περὶ τὰ ἄριστα ἐμπειρίαις, ἢ ταῖς δυνάμεσι, διαφέρειν. *Equidem malim optimis experientijs quam exercitibus præcellere.*

XXXIV. Est, vbi & superlatiuus pro Comparatiuo ponitur: Herodotus in Thalia; p. 91. Edit. Basil. ἕκαστοι τοὺς ἑαυτῶν νόμους νομίζουσι πολλὸν τι καλλίστους, id est, πολὺ καλλίονας ἐκ τῶν πάντων νόμων.

At-

Atque hæc libuit tractare fusius: quia loci D. Lucæ sensus erutus, in re Chronologica summi est momenti; &, ne videar sine graui causa, vulgarem sententiam reuocasse in dubium.

CAP. CCXLII.

Afferri possunt, & aliæ rationes; cur D. Lucæ locus c. 2. v. 2. de descriptione, quæ prior fuit, quàm Syriæ præsideret Quirenius, sit capiendus. Aliàs enim, si quidem vox πρώτη ad priora potius, quàm ad posteriora verba referretur; tunc vtique, moreque solito, in hac oratione soluta repetitum fuisset Relatiuum ἡ, ad hunc modum; αὕτη ἡ ἀπογραφὴ ἡ πρώτη ἐγένετο &c. Quod, cùm factum non sit, vt alioquin in similibus fieri solet constructionibus; vel inde colligitur, alium aliquem horum verborum indagandum esse sensum: præsertim, cùm in prioribus, nulla penitus mentio fiat prioris huius descriptionis, ratione descriptionum aliarum secutarum.

II. Hanc descriptionem esse, vel fuisse primam historiæ ipsi planè repugnat. Constat enim iam inde à Cn. Pompeij Magni tẽporibus Iudæos censum soluisse Romanis: nullus verò census sine descriptione agi potest. Et D. Lucas hoc modo eam esse primam simpliciter diceret, non autem primam ex ijs, quibus totus Mundus est descriptus: cùm non repetat, τῆς οἰκουμένης.

III. Non ex Iosepho solùm, sed ex ipsa etiam sibi succedentium Syriæ Præsidum serie constat; hunc Quirinũ post Quintilium Varum, paucisq; ante obitum Augusti annis Syriæ Præsidem factum. At non modò durum est fingere, bis eum Syriæ fuisse Præsidẽ; sed in Rep. Romana peregrinum atq; insolitum: Sed & Historici passim eum dũtaxat Syriæ Præsidem, non vero bis, iterumq; præfuisse referũt. Is verò, qui Tacito est Quirinius, Dioni Κυρήνιος, S. Lucę, Iose-

Cap. 49. pho, Eusebio Κυρήνι@; Suetonio in Tiberio Quirinus dicitur. Vnde nulla causa est, cur miretur Lipsius, ab Onuphrio eundem Quirinum dici. Proinde Auctorum diuersitas & varietas, Syriaci huius Præsidis nomen tot modis variauit.

IV. Tantum verò abest, vt auctoritate Taciti probari queat, Quirinum hunc circa Christi nati tempora Syriæ fuisse Præsidem; vt contrarium potius comprobari possit. Licet enim, vt Dio etiam Cassius attestatur, Anno V.C. 742. sicque ante Christum natum Consul fuerit; Tacitus tamen Annal. III. de eo ita refert; *Consulatum sub Diuo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus, datusq; rector C. Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium quoq; Rhodi agentem coluerat.* Ex quo Taciti loco colligitur eum Ciliciæ, non verò Syriæ post Consulatum præfuisse Fuit verò Cilicia longè alia, & ab ipsa Syria planè separata Prouincia, etiam ab illo ipso tempore, quo Augustus cum Senatu Prouincias est partitus, vt id patet ex Dione Cassio Anno V.C. 727. pag. 577.

V. Illius descriptionis tempore; quæ à Quirino Syriæ Præside facta est, Iudas Galilæus seditionem cõmouit, teste Iosepho lib. 18. Antiquitat. c. 1. cuius etiam mentio in Apostolor. Actibus c. 5. v. 37. Ex qua quidem seditione, factioneque omnia mox mista sunt cædibus ac latrocinijs, bellum externum coortum, fames, & quidem extrema, secuta; successit oppidorum expugnatio, flamma hostilis etiam templum ipsum DEI peruasit, vti has, & alias turbas recenset ibidem Iosephus: quæ tamen omnia, tempori Christi nati quo pax summa fuit non congruunt.

VI. Tertullianus, vt aliâs, ita in re historica grauis Auctor, ex traditione vtique Vetere, disertis asserit verbis, census illos, quorum tempore Christus orbi natus est, non per Quirinum, sed per Sentium Saturninum esse actos.

Nam

Nam in Opere aduersus Marcionem lib. 8. cap. 19. hæc promit: *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Iudæa* (ita enim sine dubio legendum est, *PRO nunc in Iudæam*) *per Sentium Saturninum; apud quos genus eius inquirere potuissent.* Et eodem lib. c. 36. *Iam*, inquit, *distincta fuit à primordio Iudæa gens per tribus & populos, & familias & domos, vt nemo facilè ignorari de genere potuisset, vel de recentibus Augustianis censibus adhuc tunc fortasse pendentibus.* Hæc Tertullianus.

Quæ quidem Patris planè vetusti ac docti sententia, vel potius traditio, eo fidem meretur maiorem; cum & ex Iosepho ipso, vt visum, constet, Sentium Saturninum, non autem Quirinum, circa tempora nati Christi, Syriæ fuisse Præsidem.

VII. Sed detur, absque tamen veri præiudicio, Quirinum bis Syriæ fuisse Præfectum; nihilominus hoc in loco verbum πρώτη, pro προτέρα, capi rectè potest: cùm, vti supra inculcauimus, hæc descriptio non potuerit esse omniũ prima. Dein; satis etiam hucusque probatum est; nomen comparatiuum πρότερος cum genitiuo iunctum, idem significare, quod πρὶν ἢ, seu priusquam; velut in illo Christi dicto; πρῶτος ὑμῶν. Nec enim Christus vnus est ex numero discipulorum suorum; sed, idem valet, ac si dixisset, *prior vobis*, seu *priusquam vos*, vti etiam vertitur.

VIII. Per Quirinum Syriæ Præsidem non modò particularis aliqua descriptio in Iudęa est facta post Archelai mortem, vti vult Iosephus; sed mox vniuersa illa & generalis; adeò, vt descriptio isthæc Orbis sub Quirino facta non immeritò sit solennissima, & celebratissima, cùm primis in Iudæa, vti fusè ostendit Iosephus; & mox, Vniuersim, vt Dio Cassius cum primis Auctor grauis tradit; Nam Anno V. C. 766. de Augusto hæc refert: Ἐπί τε τοὺς ἀγροὺς, καὶ ἐπὶ τὰς οἰκίας τὴν συντέλειαν ἦγαγε, ἔπεμψεν ἄλλους ἄλλῃ τά τε τῶν ἰδιωτῶν, καὶ τὰ τῶν πόλεων κτήματα ἀπογραφομένους: *Augustus*,

ait, *in agros & domos pensionem census transtulit, statimq́; alios alio misit, qui priuatorum & ciuitatum possessiones describerent.* Cùm igitur D. Lucas c. 2. v 2. recensuisset temporibus Christi nati descriptionem factam, mox subijcit; αὐτὴ ἡ ἀπογραφὴ, quæ nato Christo contigit, πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, *prior* scilicet, seu *prius* facta est Præside Syriæ Quirino, seu, quam esset Præses Syriæ Quirinus: ne videlicet præcedentia verba factæ descriptionis, capiantur de famosissima illa descriptione, quam Quirinus Syriæ Præses aliquot post annis confecit, & quæ simpliciter *descriptionis* appellatione, vt puta maximè insignis, accipi & intelligi soleat.

IX. Non refert S. Lucas alios aliò missos, qui Orbem describerent, vti teste Dione sub Quirino factum; Sed, refert hanc descriptionem ex edicto, quod ab Augusto exierat, factam. Et, quia eo tempore, quo Christus est natus, Herodes Magnus adhuc in viuis erat, Iudæaq; necdum Syriæ adiecta fuerat; eiusque administratio non ad Syriæ pertinebat Præsidem. Nam Herodes tum Iudæos, vt sibi subditos, descripsisset, non verò Syriæ Præses Quirinus. Deniq;, descriptio Quirini, descriptio fuit possessionū, ac prædiorū, τ̃ οὐσιῶν, vt est apud Ioseph. disertè, lib. scilicet Antiquit. 18. c. 1. At descriptio illa, sub qua natus est Christus, descriptio fuit capitum, siue hominum, & nequaquā prædiorum; Id D. attestatur ibidem Lucas: *Et ibant omnes* ἀπογράφεσθαι *vt profiterentur,* seu describerentur; *singuli in suā ciuitatem, Ascendit autem & Ioseph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in Iudæam, ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo & familia Dauid,* ἀπογράψασθαι, *vt* describeretur, seu *profiteretur.*

Facta igitur est hæc descriptio per tribus, & domos, perinde vti & Iosue 7. v. 14. & 1. Reg. 10. v. 19. 20. & 21. Et 2. Reg. 24. cum Dauid describi & recenseri mandaret omnes,

qui

qui bello per ætatem vſui eſſent tam ex Iſraële, quàm Iuda; idque in eum tantummodo finem, vt de eorum numero ſibi certò conſtaret: Atque ideo non erat deſcriptio prædiorum, ſed hominum.

Quin imò in hac ipſa capitum deſcriptione, non videtur cenſus hominibus deſcriptis adſignatus, & ab his exactus. Idque probare videtur locus ille Dionis Caſſij qui de hoc ipſiſſimo Natiuitatis Chriſti tempore, vel certè, mox inſecuto, hæc tradit. Nam poſt anum V. C. Tab. Cap. 747. vel, vt ipſe numerat, 748. de Auguſto ita ſcribit: Αὐτὸς δὲ ἀπογραφὰς τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ κατοικούντων, καὶ μὴ ἐλάττω πέντε μυριάδων οὐσίαν κεκτημένων, ἐποιήσατο. τοὺς γὰρ ἀσθενεστέρους, τούς τε ἔξω τῆς Ἰταλίας οἰκοῦντας, οὐκ ἠνάγκασεν ἀπογράψασθαι, δείσας, μὴ νεωτερίσωσί τι ταραχθέντες. *Auguſtus recenſionem eorum, qui in Italia habitarent, ac ad ducenta ſeſtertia poſſiderent, iniit; pauperioribus, ac ijs, qui extra Italiam viuerent, ſine cenſu omiſſis, metuens ne quid turbarum darent.* Quare, Iudæis, Natiuitatis Chriſti tempore, cùm extra Italiam habitarent, deſcriptis, nullus cenſus eſt impoſitus & adſcriptus; ſed, vt nonnulli ad Euangelium S. Lucæ Interpretes rectè notant; Iudæi tum deſcripti ſunt, in ſubiectionis & obedientiæ ſignum; atque vt numerus hominum conſtaret, qui ſub Romanorum ditione ac Imperio agerent.

Cæterùm cum ſæpe numero mirarer, nullam huiuſce deſcriptionis apud Auctores Ethnicos fieri mentionē, tandē reperi deſcriptionis huius in ſignum obedientiæ tum celebratæ ſigillatim mentionem facere Philonem iuniorē & Ioſephum. Quorū ille, vti paraphraſis illa, quæ ſupereſt, præ ſe fert, poſt annum regni Herodis trigeſimum; circaq; ipſum Natiuitatis Chriſti tēpus, hęc refert; *Herodes proprium filiū interfecit quod diceretur iam in lege promiſſus* CHRISTVS *natus; feſſi tandē Hebræi vltro Herodi ac eius poſteris regnū obtulerūt, iurantes, in fide ipſius ac poſterorū ſeſe permanſuros. Regnauit* (itaq;)

hic primus Herodes Ascalonita, tyrannico principatu, annis triginta, vno & legitimo, sex. Hæc Philo iunior. Quin & Iosephus huiusce iuramenti, quo Iudæi omnes, Augusto & Herodi obedientiam tum iurauerunt, circa eadem tempora meminit, Antiquit. scilicet lib. 17. c. 3. cùm hæc inquit; Ἦν μόριόν τι Ἰουδαϊκῶν ἀνθρώπων ἐπ' ἀκριβώσει μέγα φρονοῦν τοῦ πατρίου νόμου, οἷς χαίρειν τὸ θεῖον προσποιουμένων ὑπῆκτο ἡ γυναικωνῖτις, Φαρισαῖοι καλοῦνται. Παντὸς γοῦν τοῦ Ἰουδαϊκοῦ βεβαιώσαντος δι' ὅρκων ἦ μὴν εὐνοῆσαι Καίσαρι, καὶ τοῖς Βασιλέως πράγμασι, οἵδε οἱ ἄνδρες οὐκ ὤμοσαν ὄντες ὑπὲρ ἑξακισχίλιοι. Καὶ αὐτοὺς Βασιλέως ζημιώσαντος χρήμασιν, ἡ Φερώρου γυνὴ τὴν ζημίαν ὑπὲρ αὐτῶν εἰσφέρει, οἱ δὲ ἀμειβόμενοι τὴν εὔνοιαν αὐτῆς, πρόγνωσιν δὲ ἐπεπίστευντο ἐπιφοιτήσει τοῦ θεοῦ, προὔλεγον, ὡς Ἡρώδι μὲν καταπαύσεως ἀρχῆς ὑπὸ θεοῦ ἐψηφισμένης, αὐτῷ τε, καὶ γένει τῷ ἀπ' αὐτοῦ, τῆς δὲ βασιλείας εἴς τε ἐκείνην περιηξούσης, καὶ Φερώραν, παῖδάς τε οἳ εἶεν αὐτοῖς. *Erat quadam Iudaorum secta, exactiorem Patria legis cognitionem sibi vindicans, quibus, tanquam DEO, vti videri volebant, charis, addictum erat mulierum sodalitium. Hi Pharisai vocabantur. Cùm tota gens Iudaorum fidem suam constantem futuram iureiurando obligasset Cæsari,* (Augusto) *& Regi,* (Herodi Magno) *hi soli non iurauerunt, excedentes sex millium numerum. Quibus hoc nomine à Rege mulctatis, Pherora vxor pro eis mulctam exsoluit; cui reponentes gratiam Pharisai, quoniam credebantur futura præscire ex DEI colloquijs, prædicebant: Decretum esse à DEO, regnum ablatũ ab Herode, & eius progenie, transferendum in ipsam, ipsiusq; maritum Pheroram, eosq;, qui tum ipsis erant, liberos.* Hactenus Iosephus.

Quo ex Iosephi loco planum esse arbitror, Iudæorum gentem vniuersam, tum Cæsari, atq; Herodi præter Pharisæos iurasse fidelitatem: qui quidem Pharisæi, & ipsi tum numerati, descriptiq;, numerum sex millium excedebant. Idque tum factum, cùm dicebatur iam natus ille, qui regio Iudææ diademate ab Herode, ipsiusque progenie ablato,

Rex

Rex Iudæorum esset futurus; id quod Pharisæi, vt ægrè facerent Herodi, Pherorae verò, & ipsius vxoris aures mulcerent, de ipsis & ipsorum liberis sunt interpretati. Quæ quidem omnia bellè congruunt ijs, quæ hac de re in S. Matthæi recensentur Euangelio: quæuè operæ precium esse duxi fusius commemorare, cùm hactenus in medium allata non fuerint; & vt clarius constet, longè aliam, diuersamque fuisse hanc Iudæorum descriptionem, sub qua Christus natus est; ab illâ alterâ, non hominum, capitumuè, sed prædiorum descriptione; quæ tum demum, cum Syriæ præesset Quirinus, & Iudæa iam Syriæ Prouinciæ attributa, iunctaque fuisset, ab ipso Quirino est perfecta; cùm Dio Cassius testetur; prædia, seu possessiones in descriptionem censualem ante annum vitæ Augusti penultimum, non venisse; sed, tùm primùm ab Augusto id institutum, vt tributa ab hominibus, ad Vrbana & rustica prædia transferrentur.

CAP. CCXLIII.

Libet hìc ex anno Sabbatico, seu septenario, quem in hodiernum vsque diem Iudæi celebrare solent, nostram hanc comprobare Chronologiam. Etenim Iosepho Antiquit. l. 1. cap. 4. Annus Ægyptijs, &, præter rem diuinam, etiam Hebræis, & ante, ac post Mosen inchoat, vnà cum Tisri Iudæorum, seu Hyperberetæo Macedonum, sicque ab Octobri. Id ipsum etiam ætate hac Iudæi hodie, circa etiam ipsius Sabbatici anni obseruant initium: id quod ex eorum satis constat computo; qui, iuxta Lunæ rationem ex die septima Octobris, anno ante Christum 3761. desinente, consurgit. Faciunt idem Samaritani; qui tamen ex die 29. Augusti annum inchoant Sabbaticum.

Atqui Iosephus idem Antiquit. 14. c. 8. Hierosolyma tradit à Pompeio Magno capta περὶ τρίτον μῆνα, circa men-

tem tertium; ab eo videlicet tempore, quo templũ obsideri cœptum, *τῆς νηστείας ἡμέρᾳ*, ipso ieiunij die. Rursum eodẽ lib. cap. vlt. sanctam Vrbem à Sosio & Herode mense item tertio captam scribit. Subdit enim: *τῇ ἑορτῇ τῆς νηστείας, ὥσπερ ἐκ περιτροπῆς τῆς γενομένης ἐπὶ Πομπηΐου τοῖς Ἰουδαίοις συμφορᾶς. καὶ γὰρ ὑπ' ἐκείνου τῇ αὐτῇ ἑάλωσαν ἡμέρᾳ, μετὰ ἔτη κζ'. Feria ieiunij, tanquam recurrente in idem temporis momentum, illata Iudæis à Pompeio calamitate. Nam & ab illo eâdem illâ die vrbs capta fuerat, ante 27. annos.*

Idem Antiq. l. 3. c. 10. attestatur; Diem Ieiunij quâ die Iudæi *διανηστεύοντες ἕως ἑσπέρας, Ieiunant vsque ad Vesperam*, esse decimam diem mensis Tisri *κατὰ σελήνην*, iuxta nimirum Lunam. Idque habetur Leuitici c. 16. v. 30. Et c. 23. v. 27. Sed & Num. c. 29. v. 7. sicq;, circiter decima mensis Octobris die. Cepit igitur Herodes Hierosolyma, iuxta nostratem hanc Chronologiam, desinente anno ante Christum 32. die circiter Octobris 10.

Atq; hinc, idem Iosephus lib. 15. c. 1. refert Herodem post sanctam Vrbem occupatã, totam inde subegisse Iudæam; omne aurum, argentũ, opes corrasisse, vel potius conuasasse, atq; ad Antonium eiusq; amicos transmisisse: Iudæos, qui quidẽ antea suarum fuissent partiũ, fouisse; partis verò aduersæ sectatores, aut fautores oppressisse. Tandem autem de ineunte anno ante Christum videlicet 31. vt puta, proximè subsequente, ista subiungit: *Πέρας κακῶν οὐδὲν ἦν. τὰ μὲν γὰρ ἡ πλεονεξία τοῦ κρατοῦντος διεφόρει ἐν χρείᾳ γενομένου. τὴν δὲ χώραν μένειν ἀγεώργητον, τὸ ἑβδοματικὸν ἠνάγκαζεν ἔτος· ἐνειστήκει γὰρ τότε, καὶ σπείρειν ἐν ἐκείνῳ τὴν γῆν ἀπηγορευόμενον ἐστὶν ἡμῖν. Nec vllus finis malorum aderat. Nam bona eorũ, auaritia Domini egentis absorbebat: & agri* (magnâ videlicet ex parte) *inculti manebant, quia instabat annus Sabbaticus, quo nobis non est fas serere agros.* Quippe, cùm circa finẽ anni proximè præcedentis capta demum fuissent Hierosolyma, non vti-

que tam citò, postque bellum, tempore verno proximè subsequente agri omnes, ita vt prius in alta pace fieri consueuerat, ad culturam poterant reduci; instabatq;, vt ex Iosepho patuit, annus Sabbaticus; anno iuxta hanc nostram Chronologiam ante Christum 31. definente.

Quo ipso anno Christi, mensesque Octobri Sabbaticum annum etiam hodie Iudęi solent ordiri. Exsurgit verò ipsorum cōputus ex die 7. Octob. iuxta lunarem cursum desinente anno mundi ante Christum 3761. In eo verò cōputo disertè isthanc regulā statuunt: *Adsciendum annum semita, seu Sabbaticum: abijce omnia septenaria ab Aera Mundi; residuū est annus semita, in quo es.* Hac itaq; ratione anno ante Chtistum 31. ab Octobri annus inchoatur Sabbaticus: id quod cùm hanc nostrā Chronologiam, tum Iosephi, ætatisq; huius Iudęorum de anno Sabbatico sententiam cōprobat. At iuxta Consulares, vulgaresq; Fastos, annus ille Iulianus, quo currente Hierosolyma cepit Herodes, in annū ante Christum 39. conijcitur; quo anno, circa diē 10. Octob. seu feriā ipsam Ieiunij, iam desierat, annus Sabbaticus; ita vt ne tunc quidem in ipso temporis puncto, quo ab Herode sunt capta Hierosolyma, ne dum longo dehinc tempore, re verâ dici potuerit, iam annum Sabbaricum instare.

Quamobrem ex anni Sabbatici Iudæorum ratione colligitur, vulgares Coss. Fastos, etiam illud tēpus quo sanctam Vrbem cœpit Herodes, integro item quinquennio citius exhibere.

CAP. CCLXIV.

Sed & alijs deprehendere licet argumentis, huiusce ætatis Iudæos quinquennio illo, quo Fasti Coss. vulgares redundant, deceptos, atque adeo historias aliasque res gestas integro anticipare quinquennio.

Exempli enim causa, natalis Mosis Philoni iuniori signatur an. Mundi 2373. sed Iudæis recentioribus, quinquē-

nio citius, anno videlicet Mundi 2368. Sic migrata Ægyptus eſt Philoni anno 2453. at recentioribus Hebræis; 2448. Ingreſſus dehinc Iſraëlis in promiſſam terram, eidem Philoni fit 2493. Iudæis poſteris, 2488. Demum templi prioris exſtructio, à Philone, anno Mundi 2933. aſſignatur; à Iudæis verò recentioribus, quinquennio citius, anno ſcilicet 2928.

Pari etiam ratione, Hieroſolymitani excidij ſub Tito facti, Iudæorum recentiores, quinquennio citius præoccupant. Licet hoc ex vniuerſo ipſorum colligere computo: hoc enim Regnum Hagarenorum annis 24. ante Aeram Chriſtianorum notant: nec verò alios, quàm Incarnationis Chriſti annos *Conſtantinopolitanos*, ſeu annos Domini Chronicorum Euſebij, & S. Hieronymi videntur intelligere: (cùm in rei veritate, iuxta quidem vulgares Coſſ. Faſtos annis ante id tempus 34. Herodes Hieroſolyma cœperit:) Ac deinceps annis poſt Aeram Chriſtianorum 68. deletionem Domus, ſeu Templi poſterioris à Tito factam annotant: & ſic anno Chriſti vulgari 63. integro nimirum quinquennio citius.

Longè verò id patet manifeſtius ex Hiſtorica Cabbalâ Rabbini Abrahami Leuitæ, Dauidis Filij. Hæc enim ibi habentur; *Romuli, qui filius eſt Rufi, Corbæ filij, tempore; firmauit ſe Adrianus, oſtendensq; in terram Iſraël, cepit Bither nona Iulij, anno 73. poſt templi euerſionem.* Hæc Rabbi Abraham. At iſta vltimis Adriani Imper. annis nequaquam eueniſſe, ſed longè contigiſſe citius, docuit ex Dione Ioan. Xiphilinus. Et verò nobis ſatis conſtat, anno Chriſti vulgari 70. Domum illam poſteriorem deletam: proinde adde illos 73. & prodibit annus Chriſti 143. nonuſque eius anni dies Iulij; & ſic citra controuerſiam aliam, tempus mortis Adriani; ſub cuius videlicet Imperio id, de quo Rabbi Abraham, contigerat. Obijt verò Adrianus anno Chriſti 138. A.D. 6. Idib.

hoc

hoc eſt, 10. Iulij. quanquam alij hæc verba *ante diem*, accepêre de die præcedente, ſeu 9. Iulij. Quare, ſi ex 143. ſubtrahas 138. reperies Iudæos illos, qui Anno 74. poſt deletam Domum poſteriorem, Adrianum 9. Iulij obijſſe crediderant, ipſam Domus illius deletionem integro citius locauiſſe quinquennio.

Sed en Sebaſt. Munſterus, ſententiam illam Rabbi Abraham perobſcuram, ex Sedar Olam facit, redditque liquidiorem; *Romulus*, ait, *Ruſi filius, Chuziba nepos fuit. In diebus eius expeditionem faciens Adrianus, venit in terram Iſraël, & accepit reliquias in nona menſis AB anno 73. deſolati templi, occiditq; Romulum, & percuſſit Iſraël cæde magnâ, qualis non fuit viſa, nec audita in diebus Nabuzardan, aut in diebus Titi.* Hactenus Sedar Olam. Sed pergit Rabbi Ahraham è Cabbala. *Diebus deſtructi templi ſtetit quidam Cozba nomine, qui contendebat ſe eſſe Chriſtum Dauidis filium. Is miſit manum in Domitianum Rom. Imperatorem, interfecto eius Præfecto, qui Prouinciam Iudæam adminiſtrabat; cùm Domitianus Imperator adhuc eſſet puer, non roboratus eſt ante eum. Itaq; regnauit Cozba iſte in Bither annis quinquaginta duobus poſt excidium Templi.* Et Munſterus ex Sedar Olam: *In diebus deuaſtati templi ſurgens quidam Chuziba nomine, affirmauit ſe eſſe Meſchiam filium Dauid, miſitq; manum in Regem Damaſion Romanum; & regnauit iſte Chuziba annis quinquaginta duobus, poſt deſolationẽ domus.* Hæc Munſterus. Et in Sedar Olam Ruta, hoc eſt, Hebræorum breuiore Chronico Gilbertus Genebrandus ita vertit: *Anno quinquageſimo ſecundo à templo diruto deſtructa eſt Bither.* Excidium quippe templi quinquennio ipſo anticipantes, aſſignarunt anno CHRISTI nati vulgari 65. His adde 52. & exſurget annus Chriſti 117. quo ciuitatem ſanctam, occupauit Adrianus. Porrò ſi annis 65. addideris rurſus annos 73. prodibit annus Chriſti 138. quo Adrianus obiit ad diem 10. Iulij, ſeu 6. Id. Iulij.

Hinc, eâdem, ex quinquennij anticipati, causa, Iudæi etiam in tempore, quo obsignatum fuit Talmud Babylonicũ, integro interim à se diffident quinquennio. Nam in Aera Mundi Iudæi, vt & Rabbi Ori, filius Simeonis in Calendario Palæstinorum, decessum Rabbi, seu Magistri Ase, seu Asi, Clausulæ seu postremi Amuræorum signaret anno Mundi 4186. (anno scilicet Christi 426.) Et obsignationem Talmud Babylonici signaret annis deinceps 79. hoc est anno Mundi 4265. (CHRISTI 505.) Sed in Cabbala Rabbi Abraham Leuitæ, Dauidis filij, non modo vtrobique anno vno amplius in annis Mundi supputatur; (id quod fortè inde contingit; quia Mundi annos à prima circiter Octobris inchoant) verùm etiam disertis additur verbis; *anno septuagesimo tertio mortis Rabbi Ase conclusum & obsignatum esse Talmud illud.* Proinde, si anno Mundi 4287. seu Christi 427. addideris annos 73. sequitur Talmud istuc Babylonicum conclusum, obsignatumq; esse Anno Christi 500. adeoque quinque annis citius.

CAP. CCXLV.

De S. MARIÆ VIRGINIS & DEIPARÆ, *Natiuitatis, obitus*, atque *Assumptionis* temporibus, notamus, & annorum hoc loco quædam Chronologica, vel ob id narratu, & obseruatu digniora; quia hucusque nec dum fuêre animaduersa.

Quod igitur ad natalitium ipsius diem attinet, anno ante vulgarem Christi Epocham decimo quinto desinente, die octaua mensis Septembris, annis ante Incarnationẽ Christi 14. nata traditur & tenetur. Incidit autem dies illa in septimam feriam, seu diem Sabbati, quem Saturno adscribunt vulgò; vt vel hanc ob causam, haud immeritò, dies Sabbati, tanquam sancta dies gloriosæ Natiuitatis Beatissimæ *Virginis*, vt in Litanijs, & Ecclesiasticis officijs concinimus, eidem sigillatim sacra censeatur.

Inci-

Incidit verò natalis hic D. *Virginis* dies, iuxta nostram hanc Chronologiam, in annum V. C. Tab. Cap. 733. quo anno, Parthorum Reges, penes quos tum Orientis erat imperium, Romano imperio se sponte subdentes, militaria signa, sed & Romanorum captiuos ex Oriente Romam remiserunt, hoc scilicet ipso anno, quo hæc *stella matutina* sacrosanctæ nostræ Romæ fundatæ Ecclesiæ fuit oborta. Augustus certè signis, captiuisque optimo receptis omine, decreuit, se in posterum rebus partis fore contentum: Ideoque hoc ipso anno Templum Iani quintum *clusit*; quo nimirum hæc *Cœli Ianua*, felicibus natalibus tenebris nostris cœpit patescere.

Dein quemadmodum Augustus hoc anno, quo *D. Deipara Virgo* nata est, Iani templum, vt retulimus, quintũ clusit:ita dehinc anno tertio, V. C. Tab. Cap. 736. quo D. Virgo iam trimula, DEO, temploque est oblata; idem Augustus, seculares Ludos (quos ex Iudæorum Iubilæis originem, causamque cępisse iam ostendimus) solenni pompa quintum celebrauit.

Etiam contemplatione dignum videtur, eadem octaua die Septemb. nataliq; beatiss. *Virginis*, anno ante Christũ scilicet natũ decimo quinto, Hebręis, imò & gentibus alijs, quæ Lunæ ætatẽ ex eo tempore, quo noua cõparet, numerare solent, Lunam fuisse quintam decimam, circa scilicet Auctumni æquinoctium, sicq; decimæ quintæ diei mensis Tisri, Iudæorum septimi, *κατὰ σελήνην*, pro Lunæ ratione, h.e. *Tabernaculorum festo congruens*; ita vt in Testamenti Veteris *Festo Tabernaculorum* natum, exortumque nobis sit hoc Christi, nouique Testamenti dignissimum, & nobilissimum Tabernaculum.

Quid quod illo ipso tempore, atq; adeò in ipsissima illa illius anni statione, qua S. MARIA, DEI *templum* nata est, Herodes Magnus, ãno regni sui, ex quo Hierosolyma occuparat

parat, octauo decimo, templum illud Hierosolymitanum magnificentissimum cœpit exstruere.

Posset quidem hoc quispiam in dubium aliquod reuocare. Nam Iosephus de bello Iudaico lib. I. c. 16. id anno Herodis decimo quinto assignat. Sed, quod nos retulimus, cùm ex Dione Cassio, tum ex luculentiore aliquo Iosephi loco potest comprobari: scilicet non quinto decimo, sed octauo potius decimo regni eiusdem anno, ex eo, quo Hierosolyma subegerat, templum ab Rege cœptũ ædificari. Etenim Dio refert, hoc ipso anno V.C.Tab. Cap. 733. Augustũ in Syriam reuersum, subdens; Αὔγουστος τῷ Ἡρώδῃ Ζηνοδώρου τινὸς τετραρχίαν ἐπέτρεψε; *Augustus Zenodori cuiusdam Tetrarchiam Herodi cõmisit.* Ioseph. verò Antiq. 15. c. 13. ἤδη, ait, τοῦ Ἡρώδου τῆς βασιλείας ιζ. παρεληλυθότος ἔτους, Καῖσαρ εἰς Συρίαν ἀφίκετο. *Regni Herodis anno 17. iam exacto, Augustus venit in Syriam.* Constat enim tum Gadarenses coram Augusto Herodem accusasse; ipsum verò non modò ab Augusto absolutum, verùm etiam ea portione donatum, quam Zenodorus, Antiochiæ in Syria tum moriens, inter Galilæam & Trachonem, reliquerat. Inde autem Herodem, Augusto ad mare deducto, in Zenodori ditione, magnificum templum condidisse.

Et mox subsequente capite, refert, Herodem tum regni sui anno 18. Hierosolymitanum templum exstruere cœpisse. Imò etiam Belli Iudaici lib. I. c. 15. sub extremum, hæc refert Iosephus: Κατέστησε δ᾽ Αὔγουστος τὸν Ἡρώδην καὶ Συρίας ὅλης ἐπίτροπον, ἔτει δεκάτῳ πάλιν ἐλθὼν εἰς τὴν ἐπαρχίαν. ἐπεὶ δὲ τελευτᾷ Ζηνόδωρος, προσένειμεν αὐτῷ καὶ τὴν μεταξὺ τράχωνος, καὶ τῆς Γαλιλαίας γῆν ἅπασαν. Idem Ioseph. mox sequenti capite; Πεντεκαιδεκάτῳ γοῦν, inquit, ἔτει τῆς βασιλείας, αὐτόν τε ναὸν ἐπεσκεύασε. *Quinto*, inquit, *igitur decimo anno regni ipsum templum extruxit.* Ne verò quis cœco ac alieno hîc abripiatur errore; inculcandum, de quo supra plu-

pluribus. Iosephum annos regni Herodis 37. ab eo tempore, quo Herodes Romæ Rex fuerat dictus, deduxisse perperam; atque hoc loco, quod consequitur, eâdem chordâ oberrare. Cùm alioquin, ab Hierosolymis captis, decimi octaui anni initio templi fabrica sit cœpta. Vno igitur atque eodem tempore, & Herodes templum DEI Hierosolymis omnium splendidissimum, sumptuosissimumque ædificare aggressus est; & cultissimum *Christi templum*, *Domus aurea, sedes Sapientiæ; Turris Dauidica*, pariterq; *eburnea, Fœderisq; Arca* (vti Sacrosancta Ecclesia Diuinam hanc salutat Virginem) Spiritus sancti fabricâ, non tam in auras, quàm in omnium communem vsum nobis prodijt.

Demum hoc ipso Beatorum *tantæ Virginis* natalium tempore, Augustus in Syriam profectus, etiam in Palæstina fuit; obque recepta signa, vt diximus, Parthica, in Capitolio templum Marti Vltori, ad imitationem Iouis Feretrij (qui non tam à ferendo, quàm à feretro, seu Arca, vel certè spoliorum, manubiarumque ferculo nomen habet) decerni iussit; atq; è Syria Romam regressus non tam reditu, quam itu, vti Dioni placet, in Græcia quoque fuit. Tum, natâ D. isthac *Virgine*, DEI futurâ *Genitrice*, Pythias Augusto, natiuitatem, aduentumque Christi præcinuit; vel certè, more Pythico, sub oraculorum inuolucris subindicauit. Nec enim in Græciam post reuersus est Augustus, vti apud Suidam his habetur. Ἄυγουστος Καῖσαρ θυσιάσας ἤρετο τὴν Πυθίαν, τίς μετ' αὐτὸν βασιλεύσει. καὶ εἶπε.

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς * μακάρεσσιν βασιλεύων * ἴσως, γρ. μακάρεσσι.
Τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ Ἅιδην αὖθις ἵκεσθαι.
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων δέ.

Καὶ ἐξελθὼν ἐκ τοῦ μαντείου ὁ Αὔγουστος, ἔστησεν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ βωμὸν, ἐν ᾧ ἐπέγραψε Ῥωμαϊκοῖς γράμμασιν. ὁ βωμὸς οὗτός ἐστι τοῦ Πρωτογόνου θεοῦ. *Augustus Cæsar re diuinâ factâ, percontabatur Pythiam; quis post se imperaturus esset. Cui illa respondit:*

Puer Hebræus (propediem ſcilicet naſciturus) *iubet me Dijs beatis imperans:*
Hanc ædem relinquere, & in Orcum redire.
Iam igitur abito tacitus ab aris noſtris:

Quamobrem Auguſtus ab oraculo diſcedens, inde in Capitolio, (in quo nimirum hoc ipſo anno, vt relatum, & templum Marti Vltori decerni iuſſerat) *aram erexit; Romanisq; literis inſcripſit.*

ARA PRIMOGENITI DEI. Hæc Suidas. Eadem tradit, refertque Georgius Cedrenus. Pagani enim Auguſtæique Scriptores, ob ſummum in nouitiam hanc, & vt opinabantur, religionem impiam, odium & execrationem, hæc alto ſilentio obruere, ac ſepelire maluerunt. Nec verò iniuriâ, immeritoq; Auguſtus, de Imperij Succeſſore fuit ſolicitus: quippe, cum anno præcedente, vti Dio retulit, Mæcenas Auguſto dicere fuerit auſus; *Tantum Agrippam iam ab Auguſto eſſe factum, vt vel gener Auguſti fiat, vel, vt occidatur, neceſſe ſit.*

CAP. CCXLVI.

Eiuſdem ſanctiſſimæ DEIPARÆ *Virginis* obitus, Aſſumptioniſque in cœlos Chronologica, idonea, dignaque cenſemus recenſione.

Cùm id tempus è vetuſtiſſima Eccleſiæ traditione cadat in annũ à morte Chriſti, noſtraq; redemtionis, duodecimũ, completo iam anno ætatis Beatiſſimæ *Virginis* 58. accurrente 59. tertioq; poſt felicem obitũ die, menſis Auguſti 15. in cœlum fuerit aſſumpta; oportet, neceſſariumq; planè iſtuc eſt, vti iuxta etiam hanc noſtram Chronologiam, anno Chriſti 45. Claudij Imp. Imperijq; ipſius anno tertio, Sanctiſſimæ Beatiſſimæq; huius *Virginis*, DEIq; matris obitus euenerit die 13. Auguſti deſinente; (qua cæteroqui die Conſtantini Magni Calendarium, pridie natalis Dianæ feſtum Λυχναψίας Ethnicum, ab Lychnorum accenſione

ita

ita denominatum, signat) in nocte; sicq; saltem Hebræis feriâ sextâ iam inchoante, ac, quod consequitur, eâdē hebdomadis die, qua CHRISTVS, DEI filius in cruce mortem pro nobis obijt; Exinde verò die tertio, 15. scilicet Augusti, qui quidem dies in feriam primā, seu diem incidebat Dominicum, quo & Christus è mortuis exstitit rediuiuus, in cœlum, supraq; omnes Angelorum Ordines sit assumpta. Etenim dies 15. Augusti anno Christi 45. exactè in diē Dominicum incurrit. Fuit verò tum Iudæis Luna 22. circa ipsum Auctumni æquinoctium, quę in diem item 22. mēsis Tisri, octauæ vltimæque, Tabernaculorum, seu Scenopegiæ, omnium solennissimæ, coincidit.

Hoc deinde ipso anno Christi 45. quo de hîc agitur, Simon Magus & Hæresiarcha, omniumque hæreticorum, qui se sacrosanctæ nostræ Catholicæ opposuerūt fidei princeps. atq; antesignanus, ac velut Antichristus aliquis, vel certè futuri Antichristi primus prodromus; (post 42. menses, quibus data est ei potestas *facere signa*, vt habetur Apocal. 13. v. 5. ex quo videlicet anno Mundi sexies *666.* vt ad finem est eiusdem capitis, consurrexerat) à S. Petro Apostolorum Principe (vti suo loco ac tempore, fusius demonstrabimus) Romæ est exstinctus; & Ecclesia nostra Catholica ibidem est fundata; D. verò *Virgo* DEIPARA, quæ Ecclesiam ipsam repręsentat, anno ipso Mundi quater millesimo, in cœlum est assumpta.

Et quanquam *mille anni ante oculos Domini, tanquam dies hesterna, quæ præterijt*, (Psal 99. v. 4.) tamen, quemadmodum quarta die Mundi DEVS creauit Solem, Lunam & stellas, vel certè sua luminis perfectione donauit, dotauitque; *posuitq; in firmamento cæli, vt lucerent super terram, & præessent diei ac nocti*; Genes. 1. v. 14. Sic item hoc anno Mundi quater millesimo de Sole, Luna, & Stellis Apocal. 12. v. 1. traditur. *Signum*, ait, *apparuit magnum in cælo :* MVLIER

amicta SOLE, LVNA *sub pedibus suis, & in capite eius* CORONA STELLARVM *duodecim.* Hæc inquam, MVLIER, est S. MARIA, *Virgo*, DEIPARA; Patriarcharum duodecim, totidem Apostolorum Regina. Vnde in eius capite *stellarum duodecim* corona regia. Eadem Angelorum, Beatorumque omnium cum Christo in cœlis triumphantium SOL; in terris verò omnium militantium LVNA, in sublimissimo, dignissimoq; post DEI filium loco, thronoque collocatur.

Nec verò etiam sine ratione mystica, 20. Apocal. c. vbi de claue abyssi, & catena illa magna, qua Diabolus alligatur, agitur, non modò sexies mille annorum est mentio; verùm etiam post commemoratum annum millesimum, quo Mundi anno, vt dictum, Ecclesia Catholica Romæ fundata, & *sanctissima DEI genitrix Virgoq;* in cœlos transportata fuit; subditur; *Hæc est resurrectio prima. Beatus est sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors non habet potestatem.* Atque hæc summis duntaxat hîc digitis attigisse, sufficiat. Alibi enim hæc fusius disputabuntur.

At cum annus, quo sanctissima DEIPARA obierit passim in controuersiam reuocetur; ita vt Cæsar Baronius S. R. E. CARD. Vir vt auctoritate, ita doctrina & iudicio in Ecclesiastica Historia, planè summus, quo nam anno, ea certò decesserit, hactenus inexploratum, disertè fateatur; nostri, quod superest, hîc muneris esse videtur; idipsum quod nimirum hoc anno Christi 45 Beatissima DEIPARA obierit, quodque in Chronologicis hisce nostris asserimus, cùm rationibus, tum auctoritatibus demonstrare.

In Eusebij igitur & S. Hieronymi Chronicis, sub annum Domini 48. qui quidem nobis ritè, atque exactè is ipse annus est CHRISTI 45. hæc inseruntur: MARIA VIRGO, DEI MATER, *ad filium in cælum assumitur, vt quidam*

dam fuisse sibi reuelatum, scribunt. Hæc ibidem. Et sanè hanc potissimum ob causam Baronius Card. anno Christi 48. obdormitionem Matris DEI assignat. Sed veniamus nunc demonstratum, quod demonstrandum suscepimus.

Hippolytus Thebanus apud Epiphanium, Constantinopolitanum presbyterum, sermone Græco de Deipara: *Post ascensionem* CHRISTI *ad cælos*, ait, *nouem annis superuixisse.* Hinc itaque videri posset, quod Beatissimæ DEIPARÆ mors integro triennio, vel certè biennio signaretur citius. Verùm obseruandum hic item est; Græcos cùm incarnationem CHRISTI, tum eiusdem passionem integro triennio citius signare: primumq; ipsum Christi nati annum, biennio toto ante vulgarem CHRISTI Epocham collocare. Proinde, minimè mirum, quod etiam DEI *Genitricis* mortem triennio, vel biennio certè citius iusto annotent.

Euodius, omnium rectissimè, sanctissimam DEIPARAM *Virginem* anno ætatis 59. sicque hoc ipso Christi anno vulgari 45. diem obijsse, tradidit. Etenim Nicephorus Eccles. hist. lib. 2. c. 3. *Diuinus*, ait, *Euodius, qui & ipse Apostolorum Successor fuit, tempus omne à Natiuitate Christi, vsq; ad* DEI *genitricis migrationem, annos fuisse dicit quadraginta quatuor: totius autem vitæ eius annos 59.* (Vtrumque rectè ac verè) *siquidem ait, trimula cùm esset, in templum est præsentata; & ibi in sanctis sanctorum traduxit annos vndecim. Deinde verò sacerdotum manibus Iosepho ad custodiam est tradita: apud quem, cùm menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illud accepit nuntium: peperit autem Mundi ipsius lucem, annum agens decimum quintum;* (exacto iam anno ætatis 15.) *die Decemb. 25. Deinde annos peregit 33. quos filius eius in terris exegit. Post crucis autem supplicium illud* (post annum videlicet nati Christi 33, quo passus est CHRISTVS) *in domo Ioannis impleuit annos vndecim; vt ætatis eius anni simul collecti sint quinquaginta & nouem.* Hactenus

apud Nicephorum Euodius. Nec verò ab eo discrepat ipse Nicephorus lib. eodem c. 20. quo loco refert; S. VIRGINEM MARIAM egisse tum annum sexagesimum. Vel enim annos 60. numerat ab eius conceptione, vel certè annum ipsum, quo desinente, nata est, in hunc numerum includit.

Georgius etiam Cedrenus scribit; *quosdam tradere sanctissimam* MARIAM DEIPARAM *annos natam 58. obijsse.* Solos quippe 58. ætatis annos impleuit.

Nec obstare potest Anselmus, qui anno à Pauli conuersione terito, sanctissimã *Virginem* obijsse tradit. Non inquã, id obstat; si quidem hæc, secũdum traditionem capiamus. Tradit enim Euodius, vt supra meminimus, à Passione, Resurrectione & Ascensione Christi (ab anno illo, quo hæc gesta, circiter exacto) vsque ad lapidationem Stephani annos effluxisse 7. & à Stephani martyrio, ad Saulum in Paulũ conuersum, menses sex. Si ergò his annis 7. & mensibus 6. subiungas annos tres; conficies annos 10. menses sex; qui anno Christi 34. quo Christus est passus, exacto iuncti & coniuncti, hunc annum Christi 45. ostendunt.

Ex his itaque, absq; alia inquisitione, ac hæsitatione vlla, concludendũ erat, hoc ipso anno CHRISTI 45. Sanctiss. & Beatiss. DEIPARAM *Virginem* obijsse, si non obstarent illa, quæ D. Dionysius Areogapita, lib. de diuin. nom. 1. cap. 3. tradit, illic enim affirmare videtur; se quoque vnà cum Petro, Iacobo & alijs Beatissimo huic interfuisse funeri. Ἐπεὶ καὶ, ait, παρ' αὐτοῖς θεολήπτοις ἡμῶν ἱεράρχαις ἡνίκα καὶ ἡμεῖς, ὡς οἶσθα καὶ αὐτὸς, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τὴν θέαν τοῦ ζωαρχικοῦ καὶ θεοδόχου σώματος, συνεληλύθαμεν. *Apud ipsos diuino spiritu plenos Pontifices nostros, cùm &* NOS, *vti ipse nosti, & plerique alij ex sanctis fratribus nostris, ad contuendum corpus illud, quod Auctorem vitæ, DEVMque receperat, conuenissemus.* Subiungit verò mox ibidem D. Dionysius;

nysius; *Aderat frater Domini Iacobus & Petrus, supremum decus, & antiquissimum Theologorum culmen.* Hæc magnus diuinusque Areopagita Dionysius.

Et quidem, quod ad S. Petrum attinet, potuit is, nullo negotio, hoc eiusdem anni initio, Simonem Magum Romæ exstinxisse, atque ob id ipsum Româ discedens, in Augusto funeri Beatissimæ DEIPARÆ Hierosolymis interfuisse. Sed quod eidem sancto funeri hoc anno interfuerit etiam B. hic Dionysius Areopagita, id plerisque hactenus visum incredibile. Quippe traditur, à S. demum Paulo eo conuersus tempore, quo Paulus Athenis fuit. Atqui est in Apostolorum Actis cap. 18. *Post hæc egressus Paulus ab Athenis, venit Corinthum, & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilam, qui nuper venerat ab Italia, eò quòd præcepisset Claudius* χωρίζεσθαι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἐκ τῆς Ῥώμης, *discedere omnes Iudæos è Roma.* Paulus etiam Orosius lib. 7. cap. 6. *Anno*, inquit, *Claudij nono, expulsos per Claudium Vrbe Iudæos, refert Iosephus*: coincidit verò annus Claudij nonus in annum CHRISTI 51. adeò, vt hoc pacto videretur Beatissima *Virgo* DEIPARA multis annis obijsse tardius. Quare Hilduinus traditiouem illam non de Beatissimæ *Matris Virginis* corpore, sed de Christi sepulcro capiendam scribit.

Cæterùm Hierosolymorum Episcopus Iuuenalis apud Nicephorum lib. 15. c. 4. Ioannes Damascenus sermone de dormitione S. *Deiparæ*; Andreas Cretensis, Epiphanius presbyter, Metaphrastes ad 15. diem Augusti, Euthymius, Maximus, Glycas, & alij, vti rectè obseruauit & annotauit Card. Baronius, de Sanctiss. MARIÆ, DEI GENITRICIS corpore, locutum Dionysium, constanter tradunt. Quod Dionysianum argumentum mouit in primis Andream Cretensem, vti crederet Beatissimam DEI Genitricem Virginem in multam peruenisse senectutem.

Vnde

Vnde Michaël Glycas in ſuis Annalibus iſthæc; *εἰς γῆρας λέγεται πεφθακέναι βαθὺ, κατά φησιν ὁ θειότατος Ἀνδρέας Κρητής. In ſenectutem perhibetur profundam veniſſe, vti ait diuiniſſ. Andreas Cretenſis Epiſcopus.* Eius ſecutus videtur ſententiam Metaphraſtes; neuter tamen auſus eſt, ætatis certum numerum definire.

At Conſtantinopolitanus presbyter Epiphanius, tandem animo ſumpto tempus illud, quo poſt mortem Chriſti Beatiſſima DEIPARA vixit, duplicans, retulit eam anno ætatis 72 diem ſuum obijſſe, adque ſuperos, deſtinatamque ſibi ſedem feliciter abijſſe. *Ætas*, ait, *Virginis ad 72. annos proceſſit, Autore etiam Andrea Cretenſi Patriarcha Conſtantinopolitano, qui ad ſummam ætatem ait perueniſſe Virginem, quæ non eſt ætas quinquaginta annorum.* Hæc Epiphanius.

Quam ex omnibus opinionem ſecutus eſt Georgius Cedrenus, auctorque apud Anſelmum Anonymus, ac recens, P. Chriſtophorus de Caſtro.

At nos, in his noſtratibus Chronologicis, intrepidè aſſerimus, anno Chriſti 42. à Paſſione Chriſti nono, C. Caligulæ vltimo, fuiſſe Athenis S. Paulum, atq; Dionyſium Areopagitam ad lucem Euangelij traduxiſſe: Anno dehinc Chriſti proximè ſequente, 43. Claudij verò Imp. primo, Iudæos à Claudio Româ pulſos & exactos; quo ipſo tempore S. Petrus cum Simone Mago iam certabat. Vnde Sueton. paganorum religioni apprimè addictus in vita Claudij c. 25. *Claudius*, ait, *Iudæos Autore Chriſto* (Chriſtum ab Ethnicis ita dictum intelligit:) *aſſiduè tumultuantes, Româ expulit.*

Non erat quidem Edictum Claudij, eiuſcemodi verbis conſtans, vt iuberentur Iudæi Româ emigrare: Sed Synagogas, tēpla, & omnes eorum cōuentus, quæ ex patrio celebrabant inſtituto, Romæ fieri interdixit: hacq; ratione, quod cōſequi neceſſe eſt, eos Româ expulit, & excedere fe-

re fecit. Quid enim Romæ agerent religionis publico exercitio vetito & ſublato?

Quod verò id anno Claudij primo, non autem nono factum ſit tradit Dio, hac in re omni maior exceptione teſtis auctorq; idoneus; quippe qui ex Romanis Actis ſuam Hiſtoriam pertexuerit: τοὺς Ἰουδαίους πλεονάσαντας αὖθις, ὥστε χαλεπῶς ἂν, ἄνευ ταραχῆς, ὑπὸ τοῦ ὄχλου σφῶν, τῆς πόλεως εἰρχθῆναι, οὐκ ἐξήλασε μὲν, τῷ δὲ δὴ πατρίῳ νόμῳ βίῳ χρωμένους ἐκέλευσε μὴ συναθροίζεσθαι, τάς τε ἑταιρείας ἐπαναχθείσας ὑπὸ τοῦ Γαΐου διέλυσε. *Cùm Iudæi*, ait, *iterum adeò Romæ frequentes fierent, vt difficulter abſq; tumultu ob eorum multitudinem, vrbe exigi poſſent. Non eiecit quidem illos, ſed iuxta patrias illorum leges inuentas non paſſus eſt Romæ conuenire, ſeu conuentus facere. Inſtituta quoq; à Caio conciliabula diſſoluit.* Hæc de anno primo Claudij Imp. Dio.

Quin imò, ex ipſo quoque Oroſio id ipſum probari poteſt. Tradit enim ibidem, anno poſt expulſos Româ Iudæos, proximo conſequente, ingentem illam ſæuijſſe famem, quam Dio quoque diſertis ſanè verbis anno ſecundo, (non verò decimo) Claudij notauit. Quanquam ibi non parum lapſus eſt Oroſius, cùm ex autoritate vnius Ioſephi tradit, Iudæos annó Claudij nono Româ depulſos; cùm tamen id nuſquam Ioſephus tradat.

Cùm itaque anno Chriſti 42. Dionyſius Areopagita conuerſus ſit à D. Paulo Athenis, potuit vtique hoc anno Chriſti 45. quo de agimus, interfuiſſe Beatiſſimæ MATRIS *Virginiſq;* funeri. Qua ratione ipſius Eccleſiæ de Beatiſſimæ *Virg.* DEIPARÆ ætate traditio, penitus atque vndiquaque, ſarta, ſalua, tecta tutaque manet. Nec dubito, quin, qui hæc lecturi ſunt, noſtræ huic ſententiæ vltro ſint ſubſcripturi.

CAP. CCXLVII.

Anni CHRISTI vulgares, (qui à Dionyſio Exiguo

Auctore Dionysiani vocantur) ex prima Ianuarij die, hoc est, à media nocte, quæ annum claudit præcedentem, numerari consueuerunt. Nec verò citra rationem: commodioris quippe calculi causa id factum: vt hac scilicet ratione anni Christi, cum annis Iulianis, vnum idemque sortiantur initium.

Et vulgò quidem putant plerique, quanquam perperàm, ex horum annorum institutione constare, annos Christi vulgares non ab Incarnatione, sed à Christi consurgere natiuitate; ita, vt prima die primi anni CHRISTI vulgaris, Christus fuerit circumcisus; quod falsum est. Etenim Ecclesia Romana prisco suo more, hosce annos Christi vulgares ab Incarnatione potius, quàm à CHRISTI Natiuitate deduxit; ita, vt primo anno CHRISTI currente 25. Aprilis incarnatum, & demum 25. Decembris natum esse Christum, ritè decreuerit. Qua de causa, vel olim, ijdem anni vulgares Incarnationis, non Natiuitatis DOMINI, sunt appellati. Quanquam etiam anni Natiuitatis CHRISTI dici possint, & verò posteris temporibus etiam dicti fuerint; hac tamen cautione; vt anno horum annorum primo currente, ac desinente, demum 25. Decemb. re verâ, CHRISTVM DOMINVM esse natum, cum Ecclesia Romana concludamus.

Id in primis inde probari potest. Quippe Christiani Veteres credidêre, die ipsa Dominica natum esse CHRISTVM. S. Augustin. lib. 4. de Trinitat. cap. 6. *Christus*, inquit, *die Dominico natus creditur*. In Fastis etiam illis Coss. vetustis, quos Cuspinianus allegat, natus dicitur Christus die prima. Sed & Hippolytus Thebanus ἐν τῷ χρονικῷ συντάγματι, inculcat, natum esse Christum ἡμέρα πρώτῃ, die prima, seu Dominica. Denique Hieronym. Guadalupensis in cap. 2. Lucæ, & Card. Baron.

in

in fine Apparatus; quin ipsi Græci in VI. Synodo Oecumenica, nouem referunt capita, quorum octauo hæc inseruntur: *In die Dominico DEVS lucem condidit; in eo, manna in eremo pluit: In eo nasci dignatus est; in eo stella Magis refulsit; In eo, de quinque panibus & duobus piscibus, quinq; millia hominum pavit: in eo baptismum à Ioanne suscepit; in eo ipse pius redemptor humani generis, sponte pro salute nostra à mortuis resurrexit: in eo Spiritum sanctum super discipulos infudit.* Hæc Synodus.

Atqui dies 25. Decemb. literam obtinet B. quæ anno Christi vulgari Dionysiano est Dominicalis. Cui argumento posset opponi; tametsi vera Dominicalis litera B. anno demum Christi primo signetur; attamen falsam illam atque erroneam literam Dominicalem B. (si admittamus Pontifices post C. Iulij Cæsaris obitum tertio, non quarto demum anno intercalasse) cadere in annum, qui Epocham Christi proximè præcedit.

Alia igitur hoc fortiora, & necessariò concludentia promamus argumenta. Interim haud immeritò mirum videbitur, tam oscitantes, fuisse Græcos, vt in illa Oecumenica Synodo admiserint, Christum die Dominica esse natū: cùm, iuxta annorum Incarnationis & Natiuitatis Christi rationem, quam ipsi obseruant, dies 25. Decembr. nullo modo, nulloque respectu, in diem Dominicum potuerit incidere.

Quod autem anno Christi vulgari primo currente demum & incarnatus & natus fuerit Christus Venerab. Beda Opusculo de ratione Temporum, cap. 45. luculenter tradit. Quo loci ostendit non modò incarnatum esse Christum 8. Cal. April. Feria sexta; (quæ assertio requirit item annum, cuius litera Dominicalis sit B.) verùm etiam subiungit; *eâdem illa die fuisse Lunam 14. & illius anni epactas fuisse 11. atq; concurrentes 5.* Quibus sanè verbis annū Cycli Dionysiani secundum, seu annū Christi vulgarem Dionysianum

primum currentem planè designat. Quid, quod hos ipsos annos Christi vulgeres, annos Incarnationis Christi appellat: Ideoque cap. 47. *Si*, ait, *apponamus tria ad annos Incarnationis Christi, & aggregatum diuidamus per 15. in residuo remanet Indictio.* Idem ex eiusdem Bedæ libelli cap. 13. & 14. deduci potest.

Hinc Paulus Diaconus, qui Desiderij Longobardorum Regis vltimi Cancellarius fuit, & temporibus Caroli Magni floruit de Longobardorũ gestis l. 2. c. 7. vt & Landulphus Sagax in historia miscella, quę Chronicis Eusebij subtexitur; Anno Incarnationis Christi 568. Cal. April. festo ipso Paschæ, Indictione prima, Longobardos ex Pannonia egressos tradunt. Id certè anno Christi vulgari 568. currenti apprimè congruit. Ante hosce Auctores, M. Aurelius Cassiodorus quoque in Computo Paschali, vulgarẽ Christi annum 562. Indictionis decimæ, annum Incarnationis Domini 562. indigetat. Hosque annos Christi vulgares, Dionysianosque, non nisi annos *Domini*, vel ab Incarnatione Domini, & nequaquam à Natiuitate eius nominat.

In Annalibus quoque Francicis, ab anno CHRISTI 714. (quem annum ab Incarnatione Domini vocant) deinceps, vt & in vita *Caroli Magni* ab eo, qui tum temporis floruit, conscripta, vulgares Christi anni, Incarnationis Domini appellantur anni; qui quidem à die 25. Martij, seu Dominica Paschæ initium capiunt. Id permouisse videtur Ioannem Keplerum Cæs. Maiestat. insignem Mathematicum, vt is, post Ioannem Lucidum nouissimè, minimè dubitet, à Dionysio Abbate annos Christi vulgares ea mente institutos, vti constet, anno Christi primo currente, & incarnatum & natum fuisse Christum.

In Gregorij Turonensis Episcopi, Historiæ Francorum Appendice, anno Christi vulgari 736. conscripta, is ipse

ipse annus Domini 736. à die Dominico ducens initium, & annus Cycli Victoris 177. rectè vocatur. Nam Cyclus Victoris initium capit exacto anno Christi vulgari 27. quibus adde integrum Cyclum annorum 532. & annos illos 177. & conflabis eum ipsum 736. numerum.

Quam opinionem tenuit Panadorus Ægyptius Monachus; id quod Georgius Tarasij Patriarchæ Constantinopolitani Syncellus, hiscé testatur: Πανάδωρος δέ τις τῶν κατ' Αἴγυπτον εἷς μόναχος ἱστορικὸς, οὐκ ἄπειρος χρονικῆς ἀκριβείας, ἐν τοῖς χρόνοις ἄκμαζεν Ἀρκαδίου βασιλέως, καὶ Θεοφίλου Ἀλεξανδρείας Ἀρχιεπισκόπου, ζ΄ διήμαρτεν ἔτεσιν, τῷ ε̄ῡϟ̄γ̄ ἔτει τὴν θείαν σάρκωσιν συλλογισάμενος. Etenim anno Christi vulgari octauo exacto, Mundi 5500. initium annorum Christi, Georgius ille statuit. E quibus annis annos septem subtrahe, & relinquitur currens annus Christi primus, Mundi verò 5493. quo anno currente Christum incarnatum & & natum, rectè sensit Panadorus Monachus; qui Arcadij Imp. & Theophili Alexandrini Episcopi temporibus, adeoque circa annum Christi 395. floruit.

Sic Asser Meneuensis, in vita Aelfredi Britanniæ Anglosaxonum Regis, anno Dominicæ Incarnationis 856. die 25. Decemb. feria sexta, Lunam 24. ritè signat; cum in illius diei meridie Luna media à Sole medio fuerit 4°. 56′. 45″. 32‴.

Neque verò mirum sit, annos Domini, de annis Incarnationis *Domini* potius, quàm de annis Natiuitatis eiusdem accipi; cùm & plerique Veteres omnes ab Incarnatione Christi potius, quàm à Natiuitate annos numerarint; ita vt vel à die 25. Martij, vel 23. mensis eiusdem, vel ab ipsius Paschæ Dominica, vel à Calendis Aprilibus, & annos Christi, & ipsos etiam illorum annorum menses computarint. Id Lutetiæ Parisiorum, & in reliqua quoq; Gallia factum, constat. Clemens Alexand. lib. 5. Can. 13. τὴν

γενέθλιον, inquit, *ἥ τις ὑμῶν ἐπιτελείσθω εἰκάδι πέμπτῃ τοῦ ἐννάτου μηνός.* *Natalitia Christi feriæ vobis celebrentur 25. noni mensis.* Quippe Aprilis, vel exactè, vel certè *ἐν πλάτει* vetustissimæ Ecclesiæ mensis est primus: & quod consequitur, December, mensis nonus. Qua computatione, Anastasio Patriarchæ Antiocheno, mensis October est septimus, sic Gregorio Turonensi, Nouemb. octauus. Lepidè ac facetè Lucas Gauricus Geophonensis, Ciuitatensis Episcopus, cùm hāc non assequeretur rationē; *Veneti*, ait, *annum 1550. inchoant à Cal. Martij, & Florentini à 25. die Martij, illius anni, perindè ac si Christus fuerit ante natus, quàm conceptus.* Hæc Lucas Gauricus.

Omnium planissimè S. Ioannes Chrysostomus scribit Româ Constantinopolim esse nunciatum; & Natalē Christi in 25. diem Decemb. incidisse; ac decimā Lunam mensis Tisri, quâ Angelus Zachariæ in sanctis sanctorum apparuit (Luc. 1. v. 9.) fuisse 27. diem Septemb. refert: id quod illi anno, qui vulgarem Christi Epocham proximè præcessit, manifestè competit: & deniq; diem S. Ioannis Præcursoris Christi natalem, octaua die Calendarum Iulij Lunâ decimâ quintâ signat, quod anno Christi vulgari Dionysiano primo currenti congruit: ita vt dehinc nullum sit dubium, hanc ipsam Ecclesiæ Romanæ traditionem, & vetustissimā esse, ac verissimā. Eam verò absurditatis redarguit, absurdus ipse Ios. Scaliger in hæc more suo erūpens verba: *Neminem*, inquit, *tantæ pervicaciæ puto, qui absurditatem tueri velit.* Ridiculum se quoq; ibidem exhibet idem Scaliger, dum nouitatis affectatæ studio tradit: Olim Natalem Christi non die 25. Decemb. seu noni Mensis; sed, ex Clemente, die 25. mensis Pachon fuisse signatam: quasi verò Ægyptius mensis Pachon non sit nonus mensis Ægyptiorum à primo Ægyptio mense Thoth, perinde atque December ab Aprili.

Verba ipſa Clementis Alexandrini Στρωματέων λόγῳ πρώτῳ pag. 147. aliâs 128. ſunt iſthæc : Εἰσὶ δὲ οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, οὐ μόνον τὸ ἔτος, ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες. ἥν φασιν ἔτους κη Αὐγούστου, ἐν πέμπτῃ Παχὼν καὶ εἰκάδι. *Sunt autem, qui curioſius Natali Domini non ſolum annum, ſed etiam diem addunt, quem dicunt 28. anni Auguſti, in 25. Pachon.* Et ſanè Tab. Cap. V. C. anno 720. exacto, exactum eſt ſecundum quinquennium triumuiratus R. P. C. & vnà ſimul annus à morte C. Iulij Cæſaris duodecimus. Atque hinc quidem initium ducunt anni Monarchiæ Auguſti, vna cum anno ante Chriſtum natum 27. Currente igitur anno Auguſti 28. & primo anno Chriſti vulgari Dionyſiano, 25. die Decembris, ſeu Menſis ab æquinoctio verno noni, iuxta hanc quoque traditionem vetuſtiſſimam natus eſt CHRISTVS.

Poſtremò, cùm ab eâdem ſexta Oecumenica Synodo, dies etiam illa, qua Chriſtus à Ioanne baptizatus eſt, dies Dominica dicatur; hac ſanè ratione, anno à Natiuitate CHRISTI 31. inchoante (ſeu anno vulgari Chriſti 32. inchoante ac currēte) dies Epiphaniæ, ſeu Theophaniæ ſexta videlicet Ianuarij, qua baptizatus eſt Chriſtus, currente anno imperij Tiberij quoad prouincias 15. exactè in diem item incidit Dominicam: vt vel inde, mira, concinna, atq; euidens Eccleſiæ Romanæ harum rerum, vel myſteriorum potius manifeſtò appareat traditio. Prima quoq; dies Mūdi, Dominica, anno ante *Chriſtum* 3955. in 22. Martij cadit; & dies Mundi quarta, qua Sol tempora, & menſuras diſtinguens temporum, creatus eſt, in 8. Cal. April. coincidit.

CAP. CCXLIIX.

Biennio ante Auguſti mortem, Tiberio Pronconſulare Imperium Vniuerſim & abſolutè datum eſſe; ac, quod cōſequitur, iam tum eum Imperij, quoad Prouincias, participem eſſe redditum, vel hinc probari poteſt: quippe

Suetonius in Ausonij versibus, qui ratione metri corrūpi minus possunt, Iulij Cæsaris Imperio tribuit annos tres: Inde Augusto vnà cū M. Antonio annos duodecim; & exinde Monarchiæ Augusti annos 44. At constat Anno V.C. Tab. Cap. 705 desinente, Pompeium Magnum à Cæsare debellatum, exactoque inde triennio, seu anno 708. C. Iul. Cæsarem cæsum: his adde 12. illos & 44. atque hoc pacto annum V.C. Tab. Cap. 764. pro anno Monarchiæ Augusti vltimo conflabis. Cùm autem biennio post Augustus demum obierit, consequens est, vt Tiberius ante mortem Augusti biennio Imperij consors factus sit. Eandem Suetonij Chronologiam, vti Ausonius eam carminibus suis tradidit, tenet, sequiturque Georgius Abbas, Tarasiij Cōstantinopolitani Patriarchæ Syncellus: Atque post C. Iulij Cæsaris cædem Augusto non nisi 56. annos; inde Tiberio 22. Caio 3. Claudio 13. totidem Neroni, & quidem rectissimè, attribuit.

II. Ex his, quæ proximè cursim, suprà verò fusius deduximus, constat, annum Monarchiæ Augusti primum, fuisse annum ante vulgarem Christi Epocham, 27. subtrahe igitur hos ante Christum 27. annos ex summa annorum 44. Monarchiæ Augusti, & relinquuntur Soli anni post Christum 17. reliqui Monarchiæ Augusti; cùm aliôquin anno Christi 19. desinente demum Augustus obierit.

III. Idem ex alio Suetonij comprobatur loco. Nam in vita Tiberij c. 18. post Varianam recensitam cladem, tradit; *Proximo anno repetita est Tiberio Germania, isq; à Germania in Vrbem post biennium regressus, triumphum Illyricum, quem distulerat, egit. Ac non multò post, lege per Coss. lata, vt Prouincias cum Augusto communiter administraret, simulq; censum ageret, cōdito lustro, in Illyricum profectus, & statim ex itinere reuocatus, adhuc spirantem Augustum reperit.* Hæc Tranquillus.

Clades autem Variana, Dione, Tacitoque testibus, con-

contigit V.C.Tab.Cap.761. C. Poppæo Sabino, & Q. Sulpitio Camerino Coss. anno Christi 14. Proinde subsequens, proximumque belli Germanici à Tiberio gesti biennium, occupauit annum V.C.Tab.Cap. 762. & 763. Ac, quod consequitur, currente nimirum An V.C. Tab.Cap. 764. Christi 17. Germanico Cæsare, & C.Fonteio Coss. triumphum Illyricum egit Tiberius, id quod etiam in Fastis signatur Coss. vulgaribus; Sed & lege per Coss. latâ cœpit Prouincias cum Augusto administrare communiter. Nec diffitetur Sueton. ex die, vtique 5. Cal. Iulij; cum illâ die & ab Augusto adoptatus iam antea fuerit Tiberius, ex eademque illâ die anni quoq; Tribunitiæ potestatis Tiberij censeantur exurgere. Sunt igitur ex hac die, qua Tiberins Imperij particeps cum Augusto Prouincias communiter administrare cœperat, ad Augusti mortem anni duo vertentes, & præterea dies 53.

IV. Id ipsum ostendi potest ex Velleio Paterculo, auctore omni exceptione maiore; hic tradit, Ælio Geminoque Coss. (anno videlicet V.C. Tab.Cap.755 Christi 8.) adoptatum ab Augusto Tiberium 5. Cal. Iulij. *Atq; exinde Protinus*, inquit, *ab adoptione missus, cum eo in Germaniam profectus, Equitum, cœlestissimorum eius operum, per annos continuos nouem spectator & adiutor fui.* Mox verò Velleius subdit; *Cùm Senatus, Populusq; Romanus postulante patre* (Augusto) *eius*, (Tiberij,) *vt æquum ei* (Tiberio) *ius in omnibus Prouincijs exercitibusq; esset, quàm erat ipsi* (Augusto) *decreto complexus esset. Etenim*, inquit Velleius, *absurdum erat, non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur: & qui ad opem ferendam primus erat ad vindicandum honorem, non esse parem, in Vrbem reuersus* (Tiberius) *iam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum ex Pannonijs, Dalmatisq; egit triumphum.* E quibus Velleij, ipsius Tiberij eo tempore comitis, & rerum ab eo gestarum spectatoris, adiutorisque verbis, clarè apparet, annis ab adoptione Ti-

berij nouem, seu, quod consequi necesse, Anno V. C. Tab. Cap. 764. Christi verò 17. ex die 5. Cal. Iul. eque Senatus Populique Romani, (postulante id Augusto) decreto facto, Tiberium incepisse æquum obtinere ius cum ipso Augusto, in omnibus Prouincijs & exercitibus.

V. ex Suetonio, Tacito & Plinio constat Tiberium biennio ante Augusti mortem Principem nuncupatum. Refert enim Suetonius legem per Coss. latam esse, vt Tiberius Prouincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret: Augustumque lustro condito, vota, quæ in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare iussisse, seque negasse suscepturum, quæ non esset soluturus. Et Tacitus anno V. C. Tab. Cap. iuxta Fast. Coss. 784. Cn. Domitio Atheno-barbo, & A. Vitellio, seu Camillo Scriboniano Coss. refert L. Pisonem ex Præfecto Vrbi Pontificem fato obiisse, totos viginti annos pariter probatum, publico funere, ex decreto Senatus esse celebratum. Sed & Plinius lib. 15. c. 22. *Tiberij iuuenta*, inquit, *ad merum pronior eaq; commendatione credidere*, L. Pisonem, Vrbis Romæ curæ ab eo delectum, quòd biduo, duabusque noctibus per potationẽ continuasset apud ipsum iam Principem. Sueton. item in Tiberio c. 42. *Tiberius secreti licentiam nactus, cuncta simul vitia, malè diu dissimulata, tandem profudit, de quibus sigillatim ab exordio referam. In castris, tiro etiam tum, propter nimiam vini auiditatem pro Tiberio Biberius, pro Claudio, Caldius, pro Nerone Mero vocabatur: Postea princeps, in publica morum correctione, cum Pomponio Flacco, & L. Pisone, noctem, & continuum biduum epulando potandoq; consumpsit: quorum alteri Syriam Prouinciam, alteri Præfecturam Vrbis confestim detulit.* Hæc Tranquillus.

Quamobrem ex hisce V. C. Tab. Ca. iuxta vulgares Coss. Fastos, 784. annis, annos 20. subtrahe; per quos, Auctore Tacito, L. Piso pariter à Tiberio videlicet probatus fuerit;

relin-

relinquitur planè annus V. C. Tab. Cap. 764. Christi verò 17. quo currente, quoad Prouincias videlicet; & exercitus, vti retulimus, Princeps factus fuerat Tiberius. Perperam itaque Lipsius locum Taciti non corrigens, sed corrumpens, pro X X. legit X. *sit ergò*, inquit, *hic error ex notis geminatis.*

V I. Id ipsum ex Dione quoque colligas: qui illo ipso anno V.C.Tab.Cap.764. ante mortem Augusti tertio currente; Ἄυγουστος, ait, Γερμανικῷ τε, ὡς καὶ ἐπὶ γήρως ὤν, τῇ βουλῇ, καὶ ταύτην τῷ Τιβερίῳ παρακατέθετο. *Augustus ob ingrauescentem senectutem, tunc Germanicum Senatui, Senatumq; Tiberio scriptis commendauit.* Nunquam profectò senatum Tiberio commendasset Augustus, si Tiberius nec dum Princeps aliqua saltem ex parte factus fuisset. Patet idem ex Panegyrico Maximiano & Constantino dicto, Augustum aliqua saltem ex parte deposuisse ante mortem imperiũ; anno scilicet ætatis suæ 70. & Imperij 50. Siquidem illius Panegyrici Auctor, sub Vrbis Romæ nomine, depositionem Imperij dissuadens; *Quousq;*, inquit, *Maximiane, patiar, me quati, te quiescere; mihi libertatem adimi, te vsurpare tibi illicitã missionem? An quod diuo Augusto, post 70. ætatis, quinquaginta Imperij, non licuit annos, tam citò licet tibi.* Hæc Panegyrista hic anonymus.

V I I. Tiberium, ante Augusti mortem, Imperij consortem factum, etiam inde deducas, licet. Quippe, priusquam morte Augusti nuncuparetur Augustus; non modò *Censor*, sed & *Pontifex* ac *Proconsul*, absolutè, ac vniuersim, velut omnium Prouinciarum Proconsul est appellatus: Et proconsulare Imperium, quanquam indefinitum, absoluti pars est Imperij. Est id obseruare in inscriptione quadam Viennæ Galliæ.

I. O. M.
TI. CLAVD.
CENSOR.
P. PROCON.
V. S. L. M.

Ioui, nimirum, *Optimo, Maximo. Tiberius Claudius Censor. Pontifex, Proconsul; Votum soluit lubens, meritò.* Hinc sanè Dio, Anno V.C.727. p.581. *Imperatores*, ait, *ne videantur ex potentia potius, quàm ex legibus, habere omnia; quæ in populari Republica multùm valuerunt, Senatu, Populoq́; volentibus, ea, cum ipsis nominibus, in se recipiunt, excepta Dictatura.* Subdit verò Dio: ὕπατοί τε γὰρ πλειστάκις γίγνονται, καὶ ἀνθύπατοι ἀεὶ, ὁσάκις ἂν ἔξω τοῦ πωμηρίου ὦσιν, ὀνομάζονται. *Nam & Consules sæpenumero fiunt atq; Proconsules semper, quoties extra Pomerium sunt, nuncupantur.* Sic habet Monachij nummus aureus in Gazophylacio rerum artificiosarum Bauarico: DIOCLETIANVS AVGVSTVS CONSVL IV. PROCOS. Et alius: CONSTANTINVS P. F. AVGVSTVS CONSVL. P. P. PROCONS. ANTIQ. Et rursum: MAXIMIANVS NOB. C. P. M. TR. P. P. P. PROCONSVL. Sed & anno Christi 195. in vico Hendorf à Salisburgo versus Austriam tribus milliarijs sito, in monumento Vetere, tam L. Septimius Seuerus, quàm M. Aurelius Antoninus, columnæ vterque Impp. inscriptus, etiam PROCONSVL dicitur. Capitolin. in Vita Antonini Pij: *Adoptatus est*, ait, *factusq́; patri & Imperio Proconsulari & in Tribunitia potestate collega.* Idem in M. Antonino Philosopho: *Posthac*, ait, *Faustinam duxit uxorem; & suscepta filia, Tribunitia potestate donatus est, atq; Imperio extra Vrbem Proconsulari.* Idem in, & de Vero: *Defuncto Pio, Marcus in eum* (Verum) *omnia contulit, Principatu etiam Imperatoriæ potestatis indulto. Sibiq́; consortem fecit. Dato igitur Imperio, & indulta Tribunitia potestate, Proconsulatus etiam honore delato, Verum vocari præcepit.* Item de Pertinace: *Primus*

mus omnium, inquit, *eâ die, quâ Augustus est appellatus, etiam Patris Patriæ nomen recepit, nec non simul etiam Imperium Proconsulare, nec non ius quartæ relationis, quod ominis loco fuit Pertinaci.* Sed & Spartianus in Didio Iuliano: *In senatum*, inquit, *venit, totumq́; se senatui permisit factoq́; S.C. Imperator est appellatus, & Tribunitiam potestatem, ius Proconsulare, in Patritias familias relatus, emeruit.*

Itaque Tiberius ante Augusti mortem Proconsulare Imperium vniuersum (*extra Vrbem*, vti loquitur Capitolinus, seu *extra Pomærium*, vt Dio) adeptus; particeps item factus Imperij totius; præsertim cùm Imperator Monarcha etiam extra Pomerium Proconsul nominetur.

VIII. Et postremò; idem probatur hiscé verbis; quæ in exemplari Collegij Fuxensis Tholosani, atq; illo altero, quod Parisijs anno 1512. Typis editum est, Chronicorum Eusebij, & S.Hieronymi leguntur: *Tiberius regnauit annis 23. Vel. 21. vt aiunt nonnulli. Nam ex die 5. Cal. Iul. Anno Christi 17. vsq; ad mortem imperauit annis 23. sed à morte Augusti deincept Solis 21. iuxta veros Coss. Fastos.*

Cæterùm hæc eò fusius deducere, operæ precium esse duxi; quòd ea hucusque à nemine sint animaduersa, imò ne quidem extremis tacta digitis: cùm tamen ad genuinã loci Euangelici secundum S.Lucam, *de decimo quinto anno Tiberij Cæsaris*, notititiam conducant plurimùm: contrà verò, huiusce loci ignoratio plerosque Auctores, Theologos, Historicos, & Chronologos, in transuersum egerit.

CAP. CCXLIX.

Quamobrem, cùm Tiberius biennio toto, & paulò amplius ante Augusti mortem Imperij consors factus sit; nec Auctorum vllus reperiatur, qui eidem Imp. plures, quàm 23. annos Imperij attribuat, vti satis constat è Philone, Suetonio, Tacito, Victore, Tertulliano, Iosepho, Eusebio, S.Hieronymo, Eutropio, Orosio, Cassiodoro, Ior-

nando, Zonara, Beda; necessariò consequitur, in Fastis Coss. vulgaribus sub Imperio Tiberij totum redundare biennium.

Quod igitur bini Consules duorum illorum, qui post Geminos Coss. pro ordinarijs, legitimisq; in Consulares vulgaresque Fastos perperam irrepserunt, re ipsa fuerint suffecti, & nequaquam ordinarij, M. scilicet Vinitius Quartinus, cum L. Cassio Longino; & Tiberius Cæsar Augustus quintùm cum L. Ælio Seiano, id etiam sequentibus argumentis manifestabitur.

In primis colligitur ex Velleio, M. Vinitium, ad quem Consulem Velleius, cui suum opus inscripsit, eo anno, quo Gemini Consules fuerunt ordinarij, Consulem fuisse suffectum. Hæc enim habet ad finem operis: *Dolenda*, inquit, *adhuc retulimus; veniendum ad erubescenda est. Quantis, hoc triennium, M. Vinici, doloribus lacerauit animum eius?* (Tiberij videlicet.) *Quamdiu abstruso, quod miserrimum est, pectus eius flagrauit incendio? quod ex nuru;* (Agrippina) *quod ex nepote* (Nerone) *dolore indignari coactus est. Cuius temporis ægritudinem auxit amissa mater eminentissima.* Hæc Velleius.

Et quidem in ipso illius ingressu anni, quo Gemini Coss. fuerunt Ordinarij, anno videlicet ab Augusti morte quinto decimo, vti testatur Tacitus, mater obijt Tiberij, literasq; contra Agrippinam nurum suam, & Neronem nepotem, in senatum misit Tiberius. Quod autem hoc triennium cœperit vnà cum anno post Augusti mortem tertio decimo, id ex eodem Tacito fit planum; cùm anno à morte Augusti duodecimo, non modò iam cõmotam Principis Tiberij domum & simultates inter Tiberium, nurumq; Agrippinam coortas referat, & quidẽ tantas, vt Tiberius matri suæ dixerit; *Non mirum, si quid seuerius in eam,* (nurum suam) *statuisset, in qua veneficij insimularetur:* verùm

mox

mox ſubiungat Tacitus; eo ipſo anno iam ob id ex Vrbe Tiberium emigraſſe. Cui conſentaneum eſt; M. Vinitium Conſulem (ad quem Conſulem ſcripſit Velleius) anno ipſo à morte Auguſti 15. in magiſtratu conſulari fuiſſe ſuffectũ: non autem anno demum ſequenti Conſulem Ordinarium fuiſſe. Aliàs enim hoc non triennium, ſed quadriennium nuncupaſſet.

II. Illa, quæ Tacitus de Pſeudo-Druſo refert, A. V. C. vt quidem ipſe numerat, 784. quo ipſo anno Seianus eſt cæſus; haud dubiè illo ipſo, & conſequente anno ſunt geſta; præſertim cum ſubiungat Tacitus, acrem potius, quàm diuturnum de hoc Pſeudo-Druſo fuiſſe rumorem. At Dio & Zonaras volunt, eadem integro biennio eueniſſe tardius, Anno ſcilicet V. C. vti numerat, 787. Nec enim, vt opinatur Lipſius, eo anno, quo Tiberius Caij nuptias Antij celebrauit, ad Tiberium ſcribunt miſſum.

III. Idem Tacitus anno V. C. 787. Paulo Fabio, & L. Vitellio Coſſ. auem Phœnicem in Ægypto comparuiſſe tradit; Dio verò ac Plinius, ſicut & Solinus, biennio toto tardius, Q. ſc. Plautio, & Sex. Papinio Coſſ. id conſignant.

IV. Idem Tacitus anno V. C. iuxta ipſius computationem, 788. C. Cæſtio & M. Seruilio Coſſ. ſicque, mihi Anno Chriſti 38. *Fine anni,* ait, *Poppæus Sabinus conceſſit vitâ, modicus originis, Principum amicitiâ Conſulatum ac triumphale decus adeptus, maximiſq; Prouincijs per quatuor & viginti annos impoſitus, nullam ob eximiam artem, ſed quod par negotijs, nec ſupra erat.* Hæc Cornelius.

Et ſanè mihi quidem Conſul fuit Anno Chriſti 14. ſicque exactè ac ritè annis ante ſuum obitum, 24. at iuxta Conſulares Faſtos vulgares annis 26.

V. Tum Tacitus, tum Dio An. V. C. iuxta ipſorum

qui-

quidem calculationem, 788. referuut Tiberium Antij C. Caligulæ nuptias celebrasse; cùm tamen idem Tacitus integro citius biennio, 786. scilicet, Seruio Galba, & L. Sylla Coss. hæc retulerit; *Sub idem tempus C. Cæsar discedenti Capreas ano Tiberio Comes, Claudiam Marci Syllani filiam coniugio accepit.*

Nec dici potest, hoc argumentum ita posse dilui, vt statuamus Anno V. C. 786. Caium Syllani filiam ita quidem accepisse coniugio, vti Tacitus meminit, vt sponsalia tantummodò cùm illa contraxerit; biennio verò pòst cum eâdem celebrasse nuptias. Etenim tam ex Dione, quàm Suetonio constat, alio adhuc biennio citius, quam Tacito visum, anno videlicet V. C. 784. quo desinente, vt posuimus, Seianus est cæsus, adhuc viuo, sed tamen iam suspecto Seiano, Claudiam illam Iunij Syllani filiam Caij Caligulæ fuisse sponsam. Sic enim habet Dio: *Tiberius cùm sacerdotijs Caium Caligulam exornasset, ad se tamen non vocauit, quin etiam petenti, vt liceret sibi in Campaniam venire; quia, sponsa sibi pacta ægrotaret, domi manere iussit, quò ipse etiam statim esset venturus.* Hæc Seianum denuò abalienauerunt; *& quod Tiberius Caium, cum sacerdotem fecisset, collaudauerat, ac nonnihil præ se ferret quasi eum esset Imperij hæredem relicturus.* Sueton. in Caio Cap. 12. *Non ita multò post*, ait, *Iuniam Claudillam M. Syllani nobilissimi viri filiam duxit vxorem. Deinde augur, in locum fratris sui Drusi, destinatus, priusquam inauguraretur, ad Pontificatum traductus est: insigni testimonio pietatis, atq; indolis, cùm deserta desolataq; reliquis subsidijs aula, Seiano verò tunc suspecto, mox & oppresso, ad spem successionis paulatim admoueretur.* Hæc Tranquillus. E quibus patescit, viuo adhuc Seiano, Caium Claudillam coniugio sibi copulasse.

Quæ quidem argumenta, manifesta quædam sunt indicia & vestigia erroris, biēnij illius, qui in Consulares vulgaresq; Fastos, post Geminos Coss. irrepsit.

His

His ſexti argumenti loco addendum id, quod de Pomponij Secundi Poëtæ captiuitatis traditur tempore. Etenim Dio initio Imperij C. Caligulæ Anno V. C. vt ipſe computat 789. ſicque poſt Seianum cæſum anno quinto; *Ἔπειτα*, inquit, *τοὺς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ὄντας ἀπέλυσεν, ὧν εἷς ἦν* Lib. 59.
Κύϊντος Πομπώνιος, ἑπτὰ ὅλοις ἔτεσιν ἐν τῷ οἰκήματι μεθ' ὑπα- p. 739.
τείαν κακωθείς. Dein eos, qui in carcere erant, dimiſit, quos inter, fuit Q. Pomponius, ſeptem totos annos, à Conſulatu, in ædibus (fratris ſui vadis) *miſerè habitus.* Et verò conſtat è Tacito, iſthunc Pomponium, non niſi Seiano cæſo, demum accuſatum, & fratri vadi cuſtodiendum eſſe traditum. Nam ex Tacito, principium duntaxat illius anni, quo Gemini Coſſ. fuerunt, ad nos poſteros peruenit. Quæ verò dehinc geſta, deſunt; atq; illa ſolùm ſuperſunt, quæ poſt Seiani cædem euenerunt. Inter quæ illud; *Relatum*, inquit Tacitus, *inde de P. Vitellio & Pomponio ſecundo; illum iudices arguebant, clauſtra ærarij, cui Præfectus erat, & militarem pecuniam rebus nouis* (Seiani) *obtuliſſe: huic, à Conſidio Prætura functo obiectabatur Velij Galli amicitia, qui punito Seiano* (ergò poſt Seianum punitum, hæc demum geſta) *in hortos Pomponij quaſi fidiſſimum ad ſubſidium perfugiſſet; neq; aliud periclitantibus auxilij, quàm in fratrum conſtantia, fuit, qui vades extitêre. Atq; Pomponius, multa morum elegantia, & ingenio illuſtri, dum aduerſam Fortunam æquus tolerat, Tiberio ſuperſtes fuit.* Hæc Tacitus.

Sunt verò à Seiano cæſo, ad principium vſque Imperij C. Caligulæ anni ſolùm quinque, non ſeptem. Quare ſine dubio inferendum, eo ipſo anno, quo Gemini Coſſ. fuerunt Ordinarij, & Pomponium iſthunc Conſulem fuiſſe ſuffectum, & Seianum cæſum, eoq; cæſo, Pomponium iſtũ fratri ſuo vadi cuſtodiendum eſſe cõmiſſum. Itaq; cum Dio, iuxta vulgares Coſſ. Faſtos, Geminos biennio toto ante Seianum cæſum Conſules ordinarios fuiſſe opinaretur, nolens, volens, Pomponium ſeptem à Conſulatu ſuo annis captiuum detentum ſcripſit.

VII. Idem confirmare licet è Plinij & Dionis dissensione, de vitæ longitudine Liuiæ, seu Iuliæ Augustæ. Etenim Plinius lib. 14. cap. 6. *Iulia*, inquit, *Augusta, octoginta duos annos vitæ, viuo Puzino, retulit, non alio vsa.* Hæc Plinius. (Lib. 65.) At Dio; ἡ Λιβία, inquit, μετήλλαξεν, ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα ἔτη ζήσασα. *Liuia obijt*, cum vixisset annos 86. Etenim anno V. C. Tab. Cap. 699. nata est Liuia, & sanè ab illo ipso anno exclusiuè, ad vsque ipsius mortem, seu Geminos Coss. ordinarios; (quo anno Tiberius quintùm & Seianus Coss. suffecti sunt:) inclusiuè; anni sunt 82. quot vitæ annos Plinius assignat Liuiæ. At iuxta vulgares Coss. Fastos, Tiberius V. & Seianus Coss. Ordinarij signantur anno V. C. vti quidem Dio & Tacitus numerant, 784. Sed & ab illo anno V. C. Tab. Cap. 699. inclusiuè, in annum vsque 784. pariter inclusiuè, colligere licet annos 86. quot vitæ annos Liuiæ Dio attribuit. Quamobrem hinc rectè colligas, Geminis Coss. Ordinarijs, Tiberium V. & Seianum re verâ non nisi Consules fuisse suffectos, non autem Ordinarios. Nec vero simile, Liuiam, si 86. vixisset annis, solos 82. annos viuo Puzino tribuere voluisse, cùm alio non sit vsa.

CAP. CCL.

Sub Caij Caligulæ imperio, in vulgaribus Coss. Fastis, annum vnum redundare; (& quidem illum ipsum, quo primi Coss. sub Caio signantur Ordinarij: perinde, vt & sub Claudio, ac sub Nerone contigisse infra suo * loco docebimus;) primùm demonstremus è Suetonio. Etenim Ausonius Burdegalensis vir Consularis ex eodem Suetonio, vt ipsemet asseuerat, de tempore Imperij Caij Caligulæ ita scribit:

(* Vide seq. cap. 251.)

Tertia finit hyems grassantia tempora Caij.

Successit autem in Imperio Caius Tiberio defuncto ante diem 17. Cal. April. hyeme transacta, (anno Christi 40.) obiit-

obiitque a.d.9. Cal.Feb. hyeme desinente, (anno Christi 43.) atque ita, quod consequitur, Caius non nisi annos 2. menses 10. dies 9. imperauit; nequaquam verò, iuxta cæteroqui vulgares Coss. Fastos annos ferè quatuor. Si quidem, iuxta ipsissima verba Ausonii, statuamus, tertiam hyemem Imperium Caij conclusisse.

Nec obstat, in exemplaribus illis Suetonij, quæ ad nos deuenère, Imperio Caij annos tres, præter menses 10. & dies 8. assignari. Sunt enim hæc nostratia Suetonij exemplaria, hac in re corrupta, seu potius ad vulgares Coss. Fastos deditâ operâ accommodata. At Ausonij carmen, ob metri legem, (vti etiam alibi iam innuimus) corrumpi nequijt.

Deinde præter Suetonium, atque Ausonium, χρυσερὲς Chryserus quoque M. Aurelij Antonini Veri libertus pariter ac Nomenclator; qui in annum Christi 180. quo Patronus ipsius obiit, opusculum suum deduxit, Imperio Caij non tres, sed duos duntaxat (præter octo menses, & dies septem) attribuit annos solidos.

III. Sex. Aurelius Victor Afer (quem Imp. Constantius, teste Ammiano Marcellino Pannoniæ Secundæ præfecit Consularem, æneaque statua honorauit, post etiam Præfectum Vrbi constituit:) Caij Imperio triennium hiscé attribuit: *Meritò*, inquit, *vulgatum, neque meliorem famulum, neq; atrociorem Dominum Caio Caligula fuisse. Deniq; nactus potestatem, vti talia ingenia tegere solent animi sensus* (ita enim legendum pro, *Veteris solent anni mensibus:*) *egregia gessit: sed repente, cæsis primùm vario facinore innocentium paucioribus, tanquam bellua hausto sanguine ingenium exercuit. Itaq; deinceps triennium consumptum, cùm, Senatus atq; optimi cuiusq; multiplici clade, terrarum orbis fœdaretur.* Hæc Victor.

Nec dici potest, id de postremo triennio Imperij

C. Caligulæ capiendum: cùm hac ratione Victor tempus integrum Imperij Caij Caligulæ reliquisset indefinitum.

IV. Georgius Abbas Tarasijque Patriarchæ Constantinop. Syncellus, & Chronicon quoque Weingartense, Imperio Caij, tres; Imperio verò Claudij, vti & Neronis tredecim annos rectè tribuunt.

V. Illustremus idem ex alio quodam Suetoniano loco: Etenim tam ex Dione, quàm vulgaribus Coss. Fastis constat, Claudium Caij Caligulæ Patruum, eôdem anno, quo Tiberius obijt, ex Cal. Iulijs, Consulatum suum primum, vnà cum C. Caligula inisse; ac anno illo, qui Caij Caligulæ cædem subsecutus est, iuxta illos ipsos vulgares Coss. Fastos, demum Consulem iterum fuisse. At Suetonius in Claudij vita, c. 7. *Claudius*, ait, *sub Caio demum, fratris filio, honores auspicatus, consulatum gessit vnà, per duos menses: sortitus est, & de altero consulatu, in quartum annum.* Hæc Suetonius.

At iuxta Coss. vulgares Fastos, anno Christi 37. primum Consul fuit hic Claudius; & tametsi præter morem Autorum, annus iste Christi 37. ex collecto annorum excludatur numero, nihilominus exinde anno demum quinto, non quarto, (Christi videlicet 42.) iterum Consul fuit.

VI. idem ostendo ex aperto errore Onuphr. Panuinij, qui Fastos Coss. vulgares concinnauit. Etenim is inter Consulatum Proculi & Nigri, seu Nigrini (quibus Coss. 17. Cal. Apr. Tiberio vitâ functo successit Caius:) atque M. Aquilij Iuliani, & P. Nonij Asprenatis Consulatum, annũ vnũ Caio Caligula secundũ, & L. Apronio Cæsiano Coss. ordinarijs, interponit perperã; quin & adseuerat, id se ex autoritate Dionis, & Libri Cuspiniani tradere. Cùm tamen & Fasti Græci, & Cassiodorus, eumque secutus Cuspinianus, ipsissimus etiam ille Cuspiniani Libellus, quo

de, agitur; adeoq; ipse Dio, disertè sanè contradicant. Nam rectâ, post Consulatum Proculi & Nigrini, Consulatum Iuliani, & Asprenatis signant. Quibus accedit Iulius Frontinus lib. 1. de Romanis aquæductibus: *Post hos, Caius Cæsar*, inquit, *qui Tiberio successit, altero Imperij sui anno, M. Aquilio Iuliano, P. Nonio Asprenate Coss. anno V. C. 790. duos aquaductus inchoauit.*

Neque hoc loco dici potest; Inuersum esse tantummodò istorum Consulatuum ordinem ab Onuphrio; ac, saltem post Consulatum Proculi & Nigrini, interserendũ esse annum integrum Caio Caligula secundùm, & L. Apronio Cæsiano Coss. ordinarijs; idq; ex auctoritate illorum auctorum, quorum meminimus. At respondetur; Fastos quidem Græcos, Cassiodorum, Cuspinianum, eiusque Libellum in ea esse sententia: Dionem autem, etsi demum post Iuliani & Asprenatis Consulatum, Caium Consulem iterum fuisse dicat; non tamen id de Ordinario Caij Consulatu secundo statuere: atque adeò Suetonium huic rei palàm contradicere, vbi in Vita Caij cap. nim. 17. hæc disserit; *Consulatus quatuor gessit Caius: primum ex Cal. Iulij per duos menses: secundum ex Cal. Iulijs* (*Iulijs* enim pro *Ianuarijs* hoc in loco, ex his, quæ mox dicentur, legendum censeo;) *per triginta dies: Tertium vsq. in Idus Ianuarij: quartum, vsq. in 7. idus eiusdem; Ex omnibus, duos nouissimos coniunxit.* Hæc Tranquillus.

At sanè constat vltimo Imperij sui biennio Consulatum à Caio continuatum, vt qui anno penultimo tertium, & anno postremo, quo & cæsus est, quartum Consul fuerit ordinarius. Non itaque anno imperij sui antepenultimo Consul ordinarius esse potuit; cùm duos duntaxat vltimos, non verò tres suos Consulatus, Suetonio teste, continuarit.

Dicat quis; ex Suetonij tamen Exemplaribus probari

posse; Consulatum Caij secundum ex Cal. inchoasse Ianuariis, atque ita fuisse ordinarium. Respondeo; corrupta esse hac in re Suetonij exemplaria, vti supra monui, atque ad Coss. vulgares Fastos adaptata: alioquin enim Sueton. sibimet ipsi contradiceret; cùm duos duntaxat nouissimos Consulatus à Caio scribat continuatos.

CAP. CCLI.

Sub Imperio Claudij annum item vnum in Fastis redundare Coss. vulgaribus; annum illum scilicet, quo Claudius iterum, & C. Licinius Cæcina Largus ponuntur Coss. Ordinarij; qui tamen non nisi præcedente anno fuère suffecti; id cum primis probatur è Philostrato in Vita Apollonij Tyanei; Vbi Claudij Imperio non 14. vti vulgò, iuxta vulgares Coss. Fastos, fieri solet; sed tantum annos tredecim, hisce tribuit; Κλαύδιος πεντηκοντούτης ἐς τὸ ἄρχειν παρῆλθεν, τρισκαίδεκα ἔτη ἄρξας. *Claudius*, inquit, *quinquagenàrius, ad Imperium venit, tredecim cùm imperasset annos.*

II. Id patere potest è Suetonij autographo, quod Ausonius redegit in carmina; quæ, vt proximè visum, ob metri legem, corruptioni fortius obstant. Tradit quippe Ausonius ex Tranquillo disertè tam de Claudij, quàm Neronis duratione Imperii.

Claudius hebdomadem duplicem trahit; & Nero dirus
Tantundem: summa Consul sed defuit vnus.

E quibus Verbis inferri rectè potest; in Fastis Coss. vulgaribus, tam sub Imperio Claudii, quàm Neronis annum vnum abundare. Nam & Claudio & Neroni quatuordecim Imperii attribuuntur anni. Mihi verò, ineunte anno Christi 43. 9. Calend. Febr. Claudius Tiberio successit; atq; hinc, anno 26. currente, anno videlicet Christi 68. 4. Idus Iun. Nero è viuis abiit: quod ritè cõgruit. At contextus Suetonii vulgaris, quiué hodie teritur manibus,

nibus, ad vulgatos Coss. Fastos adtemperatus, vtrique 14. Imperii annos adscribit.

Suetonium Ausonii sequitur idem Georgius Abbas Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani Syncellus, vti & Weingartense Chronicon; Suetonius apud Ausonium: qui omnes Imperio Caii solos 3. Claudii solos 13. & Neronis totidem tribuunt annos.

III. Hegesippus quoque de Sanctæ Vrbis excidio lib. 2. cap. 6. *Claudius*, inquit, *exactis tribus & decem annis, defecit.* Et Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, Claudii Imperio præter annos tredecim, vnicum duntaxat mensem superingerit.

IV. Michaëlus Glycas in suis Annalibus, Imperio Claudii non nisi annos 13. largitur.

V. Illum ipsum annum, quo Claudius sub Imperio suo Consul iterum Ordinarius, cum C. Licinio Cæcina Largo, in Fastis Coss. vulgaribus notatur, esse superfluum, & otiosum, atque tum, non ordinarium, sed anno proximè præcedente suffectum iterum fuisse Coss. Claudium; cùm eodem anno, ex die videlicet 9. Calend. Febr. imperium iniuisset. Id probes, confirmesque, licet, ex eodem illo Sueton. loco, quem præcedente quoque produximus capite. *Claudius*, ait, *sub Caio demum fratris filio honores auspicatus, Consulatum vnà gessit; sortitus est, & de altero Consulatu in quartum annum.* Porrò Claudius primum suum Consulatum gessit cum collega suo Caio Caligula, eo ipso anno, quo Tiberius obiit: mihi, anno CHRISTI 40. Et sanè solent Auctores in numeris annorum collectis vtrumque extremum annum includere. Idem Claudius iterum Consul fuit (sed suffectus) anno Christi 43. quo ante diem 9. Calend. Febr. Caius Consul illius anni Ordinarius fuerat cæsus.

Quod verò in collectis annorum numeris, vtrumq; extremum

tremum annum iucludere soleant Auctores, id innumeris propemodum exemplis ostendi potest. Etenim & in collectis dierum numeris vulgò passim ante diem quartam nonas, idus, cuiusuis mensis illam tantummodò diem vocamus, quæ ita demum quarta est, si quidem ipsa etiam dies nonarum, iduum, Calendarum, in hunc numerum, ex quatuor diebus collectum includatur. Sed & dies nonarum inde appellationem suam est sortita, quòd sit ante diem Iduum nona; ita videlicet, si ipsa quoq; dies Iduum connumeretur.

Ita Dionysius Halicarnasseûs Anno V. C. Tab. Cap. 473. refert Legatos à S. P. Q. R. ad Pyrrhum de captiuis liberandis esse missos, C. scilicet Fabritium, qui ante anno tertio Consul fuerit: (gessit verò Consulatum Anno 471) & P. Cornelium, qui quarto; (anno scilicet V. C. Tab. Cap. 470.)

Hoc pacto Polybius Hetruscos, Gallosque pacem refert petijsse anno tertio ante Pyrrhi in Italiam aduentum cum Pyrrhus in Italiam venerit Anno 473. & pax illa petita sit anno 471.

Sed & M. Cicero in Catone refert, Appium Claudium Cæcum in lectica Curiæ illatum, decem & septem post alterum consulatum annis, pacem cum Pyrrho Epirota ineundam dissuasisse; ita enim accipiendum, vt extremos etiam annos vtrosque includamus; annum scilicet, 457. quo iterum Coss. fuit, & annum 473. quo pacem dissuasit.

Nec Censorinus Cap. 21. aliter putat, Vlpio & Pontiano Coss. (An. Christi 238.) *abhinc*, inquit, *annos centum Antonino Pio secundùm, & Brutio Præsente Coss.* qui Anno Christi 139. in Consulatu Collegæ fuêre.

Quin & Liuius annum V. C. 31. vocat annum tricesimum alterum, quam Roma erat condita. Et, quingentesimo

ſimo & altero, vti & anno ſexcenteſimo & altero Ludos ſeculares eſſe habitos tradit; quos centeſimo quoque anno (his enim terminis ſeculum concluditur:) repeti moris ſit; vti tum ex eiuſdem Epitome, tum è Cenſorino ſatis conſtat.

Atque vt alia huius generis exempla mittam obuia, plurimaque, in hoc ipſo noſtro inſtituto, atque argumento, quod tractamus; Dio, V.C. anno, quemadmodum ipſe numerat 766. L. Munatio Planco, C. Silio Cæcina Coſſ. Αὔγουστος, inquit, τῷ Δρούσῳ τῷ υἱεῖ αὐτοῦ ὑπατείαν ἐς ἔτος τρίτον, καὶ πρὶν στρατηγῆσαι, αἰτῆσαι ἐπέτρεψε. *Auguſtus Druſo*, Tiberij filio *poteſtatem dedit petendi Conſulatus in tertium annum, etiam non geſtâ Præturâ.* Hæc Dio.

Atqui anno V.C. 768. ſicque vno anno intermedio, Druſum illum Conſulem ſignat, quem & Faſti Conſulares paſſim exhibent.

Hoc itaque pacto Claudius Anno CHRISTI 40. Cal. Iulijs Conſulatum primum inijt, alterumque in annum quartum ſortitus, Anno CHRISTI 43. adminiſtrauit.

VI. Ab initio, ad annum vſque ſeptimum Imperij Claudij, annum etiam vnum in Faſtis abundare vulgaribus, conſtare videtur è quatuor illis Inſcriptionibus, quas Onuphrius Panuinius Anno V.C. 798. & I. Lipſius in ſuis Inſcriptionibus pag. 9. num. 3. repræſentant; & quintâ, quam inter Inſcriptiones Hiſpanicas pag. 11. num. 2 ſignat Adolphus Occo; & ſextâ, quàm Ioſephus Antiquit. l. 20. c. 1. recenſet: quibus concordi, & conformi conſenſu Claudius Imp. Tribunitia Poteſtate V. Conſul Deſignatus quartùm nuncupatur. Non igitur anno demum Imperij ſui ſeptimo, vt vulgares habent Coſſ. Faſti, ſed anno potius ſexto, vti nos ſtatuimus & propugnamus, Claudius Conſul quartùm fuit.

VII. Cum capite Solis radiato, hiantiſque oris etiam-

iamnum nobilissima extat inscriptio in pariete Turris perantiquæ Castri Apolliniaci Prouinciæ Velauniæ, quàm *Velay* vulgò vocitant.

Ti. Clavdivs Cæsar. Avgv. Germanicvs. Pont. Max. Tri. Potest. V. Imp. P. P. Cos. iv.

Nisi itaq; hanc Inscriptionem solennissimam, quam & Ian. Gruterus pag. 39. num. 1. reponit, falsitatis arguamus, necesse est fateri, Claudium in Consulatus sui quarti Magistratu fuisse aliquo tempore, quo annus Tribunitiæ suæ potestatis quintus necdum fuerit exactus. Verùm, id iuxta vulgares Coss. Fastos fieri nequit. Quippe, iuxta illos, anno Christi 41. 9. Cal. Febr. Imperium inierit Claudius; & Cal. Ianuarij anno demum Christi 47. Consulatum suum quartum gesserit. At mihi, Anno Christi 43. 9. Cal. Febr. iniit Imperium; & Cal. ipsis Ian. anno Christi 48. Consulatum quartum gessit. Hoc igitur anno Christi 48. mense Ianuario, ante tamen diem 9. Cal. Febr. durauit adhuc annus quintus Tribunitiæ Potestatis Claudii Imp. cùm ipse in quarti sui Consulatus esset Magistratu. Proinde vetus hæc Inscriptio vulgares Coss. Fastos non tam infringit, quàm corrigit, nostræ verò Chronologiæ facem admouet.

VIII. Id ipsum ex Tacito confirmemus. Bellum Britannicum, ob non redditos perfugas, gestum, circa finem Imperij Caij Caligulæ cœpit. Is enim, (Suetonio in Caio cap. 44. teste) *Adminium Cinobellini Britannorum Regis filium, qui pulsus à Patre, cum exigua manu transfugerat, recepit.*

At Tacitus, anno illo, quo Antistius & Suillius Coss. fuerunt Ordinarij, (vulgò Anno Christi. 50. Imperij Claudij 10. mihi, Anno Christi 51. Claudij 9.) belli huius Britannici anno nono debellatum esse refert.

refert. Inscriptiones quoque illæ, quas Guilhelmus Cambdenus exhibet, Claudium anno Tribunitiæ suæ potestatis nono, iam de Britannis triumphasse testantur.

IX. Idem Tacitus circa tempus mortis Tiberij, (quæ mihi signatur Anno CHRISTI 40. vulgò verò, anno Christi 37.) refert ab Artabano defecisse Seleuciam. Idem Tacitus in ipso principio anni illius, quo Claudius Imp. IV. & L. Vitellius Nepos III. fuêre Coss. (mihi Anno Christi 48. vulgò, 47. ante ludorum secularium illius anni diem 21. April. actorum celebrationem, refert, *Bardanem Artabani filium, reliquas corripuisse Præfecturas, Solis Seleucensibus dominationem eius, qui & à Patre ipsius defecerant, abnuentibus; tandem verò regressò Bardani, septimo post defectionem anno Sebeuciam esse deditam, nec sine Parthorum dedecore, quos vna ciuitas tamdiu eluserit.* Hæc Tacitus.

Sunt itaque mihi inter annum Christi 40. & 48. anni 7. intermedij; vulgò verò, inter 37. & 47. interseruntur, atque intercedunt non septem, sed omninò nouem.

X. Ex Suetonio in vita Claudij cap. 27. perspicuè patet; Claudium anno Imperij sui primo, Consulem iterum, quanquam suffectum, non verò fuisse Ordinarium: ideoque, falsò, in vulgaribus Coss. Fastis anno Imperij Claudij secundo, Claudium iterum Consulem, & quidem Ordinarium consignari. *Britannicum*, ait Suetonius, *vigesimo Imperij die, inq; secundo Consulatu, natum sibi, paruulum etiam tum, & militibus pro concione manibus suis gestans; & plebi per spectacula, gremio, aut ante se retinens, assiduè commendabat, faustisq; ominibus, cum acclamantium turbâ, prosequebatur.* Hæc Tranquillus.

At constat Claudium 9. Cal. Febr. iniuisse Imperium. Quare, si 20. die Imperij, hoc est pridie Id. Febr. anni illius natus est Claudio filius Britannicus, & quidem in secundo eiusdem Claudij Consulatu, necessariò consequitur, eôdem illo anno Claudium Consulem iterum fuisse; quo & Imperium inierat, quanquam suffectum; cùm illo anno Caius Caligula IV. & Cn. Sentius Saturninus Ordinarij fuerint Coss. Nec video, quomodo huic argumento fieri satis queat.

XI. Ex eâdem hac Suetonij traditione, similiter planum redditur, sub Imperio Caij annum vnum in Fastis Coss. vulgaribus, vacare; id quod capite præcedente ostendimus: hîc verò, argumento altero firmare, atque inculcare libet. Tradit quippe Suetonius, hæc de tempore Natiuitatis Neronis: *Nero natus est post nouem menses, quàm Tiberius excessit, 18. Cal. Ian.* quippe 17. Cal. April. Tiberius ante excesserat. At Tacitus, anno, vt ipse numerat, V.C. 803. *Claudius*, ait, *Domitium Neronem, filio suo Britannico biennio maiorem, anteponit & adoptat.* Proinde, si nouem tantum mensibus post obitum Tiberij natus est Nero, & die 20. Imperij Claudij natus est Britannicus, atque solo biennio Britannicum Nero antecessit; sequitur, C. Caligulam non vltra triennium imperasse.

XII. Ex alio etiam Suetonij Tacitique loco, videre est, etiam inter mortem Tiberij (qui 17. Calend. April. anno Christi, mihi, 40. vulgò 37. è viuis abijt;) & Consulatum Antistij & Suillij (qui anno Christi, mea calculatione 51. vulgò 50. Ordinarij fuêre Coss.) integrum biennium in Fastis Coss. vulgaribus abundare. Etenim Suet. vitæ Neronis c. 7. *Vndecimo*, inquit, *ætatis anno, Nero à Claudio adoptatus est.* Atqui Tacitus hanc adoptionem Antistio & Suillio Coss. factam asserit. Et mihi quidem à desinente anno CHRISTI 40. ad annum 51. sunt exactè anni vndecim:

at Fastis Coss. vulgaribus ab anno 37. desinente in annum 50. anni 13. Lipsius sanè hoc loco, cùm quò se verteret, nec haberet, nec videret, pro *vndecimo*, reposuit, *duodecimo*; nihilominus vno anno deficiens, & certa ratione redundans.

XIII. Cassiodorus, M. Vinitio Quartino secundùm, & M. Statilio Coruino Coss. (qui Coss. Valerij Asiatici cõsulatum proximè præcesserunt) *Inter Theram*, ait, *& Therasiam, exorta est insula, habens stadia 30.* Seneca item Natural. qq. lib. 2. cap. 26. *Etiam nostra*, inquit, *memoria, Insula enata Valerio Asiatico Consule iterum.* Et Sex. Aurel. Victor; eâ nocte refert enatam esse hanc Insulam, quâ Luna defecerat. At Astronomicus docet calculus, defecisse Lunam illa ipsa nocte, qua desijt annus Christi 46. Ritè ac rectè igitur mihi Calend. Ian. anni proximè sequentis, Christi scilicet 47. alterum Consulatum Valerius Asiaticus iniuit.

XIV. Claudius Imperator, se quartùm & L. Vitellio tertiùm Coss. octingentesimum V. C. annum Ludis secularibus celebrauit, (die ipso Palilium, natali Vrbis, 21. Aprilis) Dione ac Tacito testibus. Id autem anno Christi, iuxta hanc nouam Chronologiam, 48. (nequaquam verò anno Christi 47. iuxta Coss. Fastos vulgares) contigisse; id inde satis apparet; quippe, quod consequitur, anno dehinc CHRISTI 248. Millesimus Vrbis Romæ annus à Philippis Impp. Ludis secularibus similiter est celebratus.

XV. Sex. Aurel. Victor illos octingentesimi V. C. anni seculares Ludos, anno sexto Imperij Claudij habitos, actosq; adseuerat: id quod cùm nostræ Chronologiæ consonat, tum vulgaræ contradicit.

XVI. Solin. c. 2. *Cùm*, inquit, *C. Pompeius Gallus & Q. Verannius V. C. anno octingentesimo primo fuerunt Coss. Consulatu (aliàs Consulatui) eorum Olympias septima & ducentesima actis publicis, annotata est.* Hæc Solinus.

Atqui * paulò ante ostendimus Claudio Imperatore quartùm, & L. Vitellio tertiùm Coss. annum V. C. octingentesimum Ludis secularibus celebratum; ita, vt illo anno, saltem ex die natali Vrbis cœperit annus V. C. octingentesimus: cui est consequens, hoc currente anno, Gallo & Verannio Coss. ex eadem natali die consimiliter saltem initium duxisse annum Vrbis 802. Ideoque ijsdem Coss. non nisi ante natalem Romæ numeratum adhuc esse annum V.C. 801. atque annum primum, Olympiadis 207. Id quod ad hanc nostram facit Chronologiam; quæ hosce Coss. non anno Christi 49. sed anno demum Christi 50. signat: quo anno in adultam vsque æstatem currente, Olympiadis 207. annus primus etiamnum perdurat. Quare, ijs Coss. ante diem 21. Aprilis & annus V. C. 801. & annus primus Olympiadis 207. rectè fuit annotatus. Nec obstat; hanc annotationem actis publicis insertam, ab ipso Solino ita capi, ac intelligi, ac si hoc ipso anno, quo de agimus, Gallo, scilicet, & Verannio Coss. ex Vrbis natali die demum annus V.C. 801. inchoauerit: quia Solinus Fastos Coss. vulgares secutus nolens volens, hunc annum, in annum Christi 49. conijcere fuit adactus.

XVII. Dionysius Halicarnasseûs, circa tempora Augusti, quibus ipse vixit, & scripsit in annis V. C. anno vno minus numerauit, quam Tabulæ Capitolinæ præ se ferunt. Vnde pag. 5. Ταῦτα δὲ πέντε, καὶ τετταράκοντα ἤδη πρὸς τοῖς ἑπτακοσίοις ἔτεσίν ἐστιν εἰς ὑπάτους Κλαύδιον Νέρωνα τὸ δεύτερον ὑπατεύοντα, καὶ Πίσωνα Καλπούρνιον. *Quod tempus iam annorum est 745. vsque ad Coss. Claudium Neronem secundùm, & Pisonem Calpurnium.* Hæc Dionysius. Atqui in Tab. Capitol. annus V. C. 746. illis Coss. est adscriptus.

Sic Velleius Paterculus, qui & ipse sub Augusti vixit,

xit, floruitque Imperio, ijsdem temporibus, in annis V. C. vno anno quàm Tab. Cap. minus numerauit. Etenim & Aelio Cato, & Sentio Saturnino Coss. annum V. C. 754. non verò 755; Et anno illo, quo Octauianus Augustus primum iniit Consulatum, annum V.C.709.non 710; Et demum lentulo & Marcello Coss. annum V. C. 703. non 704. disertè sanè numerat.

Ità Sex. Iul. Frontinus Vir Consularis, qui non ita diu post floruit, cùm anno Christi 97. Nerua Imperatore tertium, & Virginio Rufo tertium Coss. curæ aquarum Vrbis Romæ ab Imperatore Nerua fuisset præpositus; in lectissimo suo libello, quem de Aquæductibus Vrbis Romæ scripsit; circa tempora Augusti, & paulò etiam ante, in annis V. C. anno & ipse vno minus, quàm Tab. Cap. numerat. Nam Seruio Sulpitio Galba, & L. Aurelio Cotta Coss. annum V. C. 608. non autem 609. notat. Et Plautio Hypsæo, ac Fuluio Flacco Coss. annum V. C. 627. non 628. imò constanter, Imperatore Cæsare Augusto secundùm, & L. Volcatio Coss. annum V. C. 719. non, vti Tab. Cap. 720. attribuit.

Vnde necessario sequitur, anno V. C. Tab. Cap. 747. (in cuius finem, nobis, vulgaris Epocha Christi coincidit) non modò Dionysium Halicarnasseum, ac Velleium Paterculum, sed & ipsum Frontinum, numerasse annum V. C. 746. vno videlicet anno minus, quàm Capitolinæ Tabulæ; sicque iisdem annum V. C. octingentesimum, incidisse in annum CHRITSI 54. Iunctis siquidem annis V. C. ante Christum 746. & post CHRISTVM 54. conflatur annus V. C. 800.

At annus Christi 54. iuxta nostratem hanc Chronologiam, ad punctum incidit in annum Imperii Claudii 12. ex die 9. Calendas Februarii consurgentem;

quo

quo currente anno, ac die 6. Cal. Aug. Sulla & Mutiano Coss. tum illo anno suffectis, Claudius Imp. aquam Claudiam, & nouam Anienem Romam perductas, dedicauit. Extat, dedicationis huius Inscriptio celeberrima.

TI. CLAVDIVS, DRVSI F. CÆSAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONT. MAX. TRIBVNITIA POTESTATE XII. COS. V. IMPERATOR XXVII. PATER PATRIÆ AQVAS CLAVDIAM EX FONTIBVS QVI VOCARANTVR CÆRVLEVS ET CVRTIVS. A. MILLIARIO XXXXV. ITEM ANIENAM NOVAM A. MILLIARIO LXII. SVA IMPENSA IN VRBEM PERDVCENDAS CVRAVIT.

Idem Frontinus hoc ipso anno, ac eiusdem dedicationis tempore, disertis sanè verbis dedicationis annum V.C. octingesimum numerat: *Post Caius Cæsar, qui Tiberio successit, altero imperij sui anno, M. Aquilio Iuliano, P. Nonio Asprenate Coss. anno V.C. 790. duos aquaductus inchoauit, quod opus Claudius magnificentissimè consummauit, dedicauitq. Sulla & Mutiano Coss. anno post V.C. 800. sexto Calendarum Augustarum; alteri nomen, quod ex Cærulo & Curtio fontibus perducebatur, Claudia datum; altera Anio nouus vocari cœpit.* Hæc Frontinus.

Itaque Frontinus & anno V.C. 747. (quo desinente mihi Epocha CHRISTI incidit) annum V.C. 746. numerat; & anno Imperij Claudij 12. (qui mihi incidit in annum CHRISTI 54.) annum V.C. octingentesimum signat; eò quòd anni 746. cum 54. iuncti, efficiant 800.

Qua ratione cum primis probatur; In Fastis Coss. vulgaribus, diem 6. Cal. Aug. anni 12. Claudii in annum Christi 83. perperam coniici. Deinde pariter probatur, in

in iisdem Coss. Fastis vulgaribus à temporibus Augusti ad annum Christi 54. integrum superesse quadriennium: adeoque nostratem hanc Chronologiam sibi constare.

Nec obstat id; quod posset obiici; perperam à Frontino annum Caij Caligulæ alterum, anno V. C. 790. adscribi. Id enim haud dubiè, inde accidit; quoniam Frontinus, vti paulò supra ostendi, sextis Coss. seu anno illo, quo Augustus obiit, anno vno minus, quàm Tabulæ Capitolinæ, sicque annum V. C. 765 numerauit; atque exinde annos Tiberij 23. duosque Caij, subiunxit; qui sanè collecti, exactè 790. annum redhibent.

XVIII. Anno Christi 55. (qui annus proximè annum illum subsequitur, quem Frontinus V. Romæ conditæ annum nuncupat octingentesimum) 3. Id. Octob. mihi mors Claudij Imp. incidit.

Quòd verò tum Romæ numeratus fuerit annus V. C. 801. seu annus nouus atque seculi noui, seu anni V. C. nongentesimi inchoantis primus, clarè innuit Auctor hac in re omni exceptione maior L. Annæus Seneca, in suo de morte Claudij ludo lepidissimo; *Ante diem tertium, idus Octobris*, inquit. *Asinio Marcello, Acilio Auiola Coss. anno nouo, initio seculi felicissimi, annus sexagesimus & quartus est, ex quo* (Claudius moriens) *cum anima luctatur.* Et nonnihil dehinc:

Aurea formoso descendunt secula filo,
Phœbus ait: vincat mortalis tempora vitæ:
Ille mihi similis vultu, similisq. decore (Nero)
Nec cantu, nec voce minor: felicia lassis
Secula præstabit, legumq. silentia rumpet.

Hæc ludibundè Seneca.

Quibus quidem ambobus argumentis, non modò ostenditur, annum Imperij Claudij penultimum in annum CHRISTI 54. & vnà Claudij annum vltimum in annum

Christi 55. nobis ritè incidere: verùm etiam vniuersim exinde confirmatur; à temporibus Augusti ad annum Christi 54. & 55. in Coss. Fastis vulgatis solidum superstes, esse quinquennium.

XIX. Luculentiore quodam argumento confirmo; anno demum Christi 55. iuxta nostratem Chronologiam, neutiquam verò anno Christi 54. vti vulgares Coss. exhibent Fasti, 3. idus Octob. Claudium Imp. esse mortuũ. Etenim Seneca in eôdem Claudianæ mortis ludo (quem ἀποκολοκύντωσιν, velut immortalitatem esu cucurbitarum partam, teste Dione, dixeris, nuncupauit:) tempus ipsum, quo Claudius obiit, hiscé describit versiculis:

Iam Phœbus breuiore viâ contraxerat ortum
Lucis, & obscuri crescebant tempora somni,
Iamq́ue suum victrix augebat Cynthia regnum.

Hæc Annæus. Rhenani codex pro voce *regnum*, habet *lignum*. Hinc ipse & Turnebus legunt, *lychnum*, id quod de Lunæ lumine à nouilunio ad vsq; plenilunium augescente rectè dici queat: Tametsi cum S. Amand. & aliorum exemplaribus, hanc Senecæ traditionem non de lychno, sed de Lunæ victricis augescente regno accipimus: sine dubio nihilo secius id de eo tempore intelligamus necesse est, quo iam tenebras Luna vicerit, ac splendorem, maiestatem, vim, atque potentiam suam augeat.

Atqui anno Christi 54. illoq; ipso tempore, fuit medius locus Lunæ à medio Solis, 4ˢ. 39°. 10′. 45″. sicq; diebus 23. post Nouilunium, seu 8. diebus post Plenilunium, Luna vel potissimum decrescente, ne dum augescente.

Anno verò Christi 55. 3. Id. Octob. post Epocham CHRISTI annis Ægyptijs 54. diebus 4ᵈ. 58. 31. 15. fuit à Sole Luna 0ˢ. 48. 48 8. ac, quod consequitur, quatuor deinceps tantummodo diebus à Nouilunio: id quod sententiâ Senecæ cumprimis congruit. Etenim Hadrian

drianus Iunius *regnum* & *lychnum* Lunæ, perperā & absurdè ad aduentum Auctumni retorquet: Cùm regnum, vel lychnus Lunæ, ob Auctumni aduentum non augeatur, etsi diutius nocturno tempore luceat: nec etiam Auctumnus à victrice Luna, sed ope solius Solis contingat: denique Luna tempore Auctumni non magis, quàm alio victrix dici queat; adeoque ea demum Luna victrix propriè dici possit, quæ post peractam cum tenebris pugnam, ijs victis, fugatisque, rursus lucere conspiciatur. Sic Victricem Solem dicimus, ipsique plenam victoriam assignare solemus, sicubi post Eclipsin aliquam, ab opaco Lunæ corpore, caligineque libera, liberos, pristinosque radios diffundit.

CAP. CCLII.

Ex hac noua nostrate Chronologia, deducimus, Claudium Imperatorem Auctorem esse illius carminis Epici, quod Iustus Lipsius, nec immeritò, pulcherrimum vocat, ac sine causa L. Terentio Varroni Atacino Gallo adscribit. Extat id aliòquin inter Catalecta Virgiliana, Veterumque Poëtarum lusus, de causis videlicet luminarium Eclipsium ab eodem Claudio conscriptum, qui tum trans Oceanum mouebat. Etenim Astronomicus demonstrat calculus anno CHRISTI 45. Calend. Augusti, ipso die natali Claudij Imp. Romæ ante meridiem horis $3^{\circ}.17'$. ex sole defecisse digitos $3^{\circ}.35'$. sicque penè tertiam diametri Solis partem.

Etiam refert Dio, ipsum Imp. Claudium, antequam is Solis defectus contigerat, eundem esse futurum, antea scripsisse; (προέγραψεν inquit:) tempus quoque, ac quantitatem illius & causas, ob quas Sol necessariò deficiat, declarasse; veritum videlicet, ne quis alioquin inde forsan oriretur tumultus; cùm & alia quædam tum euenissent prodigia.

Mihi ſanè ſecundum hanc noſtram Chronologiam annus Chriſti 45. quo tum Sol Cal. Auguſti defecit, exactè incidit in eum ipſum annum, quo Claudius expeditionis ſuæ Britannicæ menſe ſexto è Britannia reuerſus, Romæ triumphauit: atque, quod neceſſe eſt ſequi, anno Chriſti 44. proximè præeunte, ipſiſſimo illo tempore, quo, vti verſiculorum præ ſe fert contextus, mouebat trans Oceanum, hoc carmen conſcripſit, & euulgauit. Id & ob elegantiam, & quorundam in eo locorum genuinam interpretationem libet hic ſubijcere.

Tu fortè in luco lentus vaga carmina gignis,
Argutoſq; inter latices, & muſica flabra
Pierio liquidam perfundis nectare mentem.
At nos congeries obnubit turbida rerum.
Ferrataq; premunt milleno milite curæ;
Legicrepi tundunt; latrant fora; claſſiica turbant:
Et trans Oceanum ferimur porrò vſq; niuoſus
Quam teneat Vaſco, ne paſcat Cantaber horrens,
En quibus indicas, vt crinem frondea Phœbi
Succingant, ederaué comas auguſtius vmbrent.
En quos flammantem iubeas volitare per æthram.
Quin magè præueniens Aquilas vis pigra Elefantum
Percurret, volucremq; pigens teſtudo Moloſſum:
Quam nos rorifluam ſectemur carmine Lunam.
Sed tamen, incuruus per pondera terrea nitens,
Dicam quur feſſo liueſcat circulus orbe;
Purpureumq; iubar niuei quur tabeat oris.
Non illam, vt populi credunt, nigrantibus antris
Infernas vlulans mulier prædira ſub vmbras
Detrahit altiuago è ſpeculo: nec carmine victa,
Vel rore ſtygias . . . . . .
Vincibilemq; petit clamorem. Quippe per æthram,
Qua citimus limes diſpeſcit turbida puris,
Inuiolata meat, ſed vaſto corpore tellus,

Qua

Qua medium tenet ima polum, dum lumina fratris
Detinet vmbriferis metis; dum sidere crasso
Pallescit teres vmbra rota: tum transeat axem
Aggerei velox tumuli, speculoq; rosanti
Fraternas reparet per cælum libera flammas.
Sed quia mira putas, quur, cùm vis maxima Solis
Bis nouies maior clueat, quam terreus Orbis,
Non circumcingat terrestres lumine metas:
Quàm sublimis eas conuexa per aurea Mundi,
Quamq; humilem terram collustret curribus altis;
Hic ingens vtcunq; libet, vel desuper ignis
Sparserit, obliquo vel cum radiauerit axe
In terram, radij franguntur. Cætera Solis
Lumina, quæ maior iaculis radiantibus exit,
Nil obstante globo tendunt per inania vasta:
Donec Pyramidis peragat victa vmbra cacumen.
Per quam cùm Phœbe validos agit vda iugales,
Infima vicinis nonnunquam decolor vmbris
Fratre caret, vacuoq; exanguis deficit ore.
Quur autem Sola spolietur lumine Luna,
Nil verò mirum est; quippe illam lucis egentem
Lux aliena fouet; quam quum pars proxima metæ
Inuidet, exspectat radios malè cærula Fratris.
At chorus astrorum reliquus non tangitur vmbris.
Et proprium cunctis iubar est, nec sole rubescunt.
Sed sudum * * * . . . .

Porrò vltrà Solem rapitur cum vertice cæli.
Iam quur semestri non semper palleat orbe,
Inflexi præstant obliquo tramite cursus.
Namq; vagans errore rato, quam deuia tortos
Colligit anfractus, metam Sol eminus exit,
Intorquetq; peplum noctis, radiatq; sororem.

Hæc eadem ratio est, subitis cur frangitur vmbris.
Augusti Solis rutilum iubar; indiga lucis
Quando inter terram & solem rota corporis almæ
Luna meat, fratrem rectis obiectibus arcens.

Claudius igitur hoc in suo carmine inprimis occasionem captat scribendi, velut ab amico aliquo priuato, atque in otio degente rogatus scripserit. Et mox subiungit; *At nos congeries obnubit turbida rerum:* id quod in Imperatorem probè conuenit. Vbi addit; *Ferratas curas millenorum militum sibi incumbere*, respicit Claudius, ad Imperatoris, seu Ducis bellici curas; qui re vera Tribunis militaribus imperat, iidem postmodum Centurionibus; idque eo magis Claudio congruit; quòd hoc ipso tempore cum exercitu in Britanniam expeditionem fecerit. Nec absonum illud; *Legicrepi tundunt, latrant fora.* Quæ, vel sola verba ipso, quod aiunt, digito, Claudium Epici huius nobis Autorem demonstrant. Quid enim alij cuiuis exercitus Ductori cum leguleijs, causidicis, & forensi turba? Atqui Claudius, pro suo, ingenio sibi semper summo duxit honori, Legicrepis & Foro, quàm studiosissimè vacare. *Ius*, inquit Suetonius, *& Consul, & extra honorem laboriosissimè dixit, etiam suis, suorumq́; diebus solennibus, nonnunquã festis quoq; antiquitus & religiosis.* Imò, vt Dio retulit, *singulis fermè diebus in foro, & alibi; pro tribunali ius reddidit.* Et verò subdit ibidẽ Suetonius; *Causidicos patientiâ Claudij solitos abuti, vt descendentem è Tribunali non solùm voce reuocarent, sed & laciniâ togæ retentâ, interdum pede apprehenso, retinerent.* Hinc sanè Seneca in suo de Claudij morte ludo ludicro, sub persona Claudij Herculem alloquentis, festiuè; *Ego*, inquit, *eram, qui tibi ante templum tuum ius dicebam totis diebus, mense Iulio, & Augusto: Tu scis, quantum ibi miseriarum pertulerim, cum Causidicos audirem, & diem & noctem; in quos, si incidisses, valdè fortis licet tibi videaris, maluisses Cloacas Augiæ purgare,*

gate; multo plus ego stercoris exhausi. Hæc Claudius. Nec lassum mittit Seneca;

De flete virum,
Quo non alius,
Potuit citius,
Discere causas,
Vnâ tantum,
Parte auditâ,
Sæpe & neutrâ.
Quis nunc Iudex
Toto lites
Audiet anno.
Cædite mœstis,
Pectora palmis
O Causidici
Venale genus.

Sed prosequamur Claudianum Epos: *Nos classica turbant; Et trans Oceanum ferimur, porrò vsque,* (versus Boream videlicet & Aquilonem) *quàm teneat,* (sedem habeat) *Niuosus Vasco: & porrò vsq; quàm pascat,* (sua iumenta) *horrens Cantaber:* Quippe illo ipso tempore, quo carmen hoc condidit Claudius, expeditionem Britannicam, quâ trans Oceanum vectus est, in procinctû habuit. Destinarat autem per mare mediterraneum transuecta Hispania, ac quod sequitur, Vasconibus, atq; Cantabris ad dextrâ post se relictis, * Gessoriacum vsque tendere, atque inde traijcere. Sed, vt Suetonius ac Dio referunt; cùm ab Ostia nauigaret propè Liguriam, iuxtaque Stœchadas insulas, vehemnnti Circio bis penè demersus est.

* *Brugas. Aleman. inf. port. antiq. & celeberr.*

Quamobrem à Massilia Gessoriacum vsque per terram & flumina itinere perfecto; ac quod sequitur, Vasconibus ac Cantabris iam ad sinistram ponè se derelictis inde traiecit in Britanniam Insulam. Vnde Britan-

tannica expeditione finita, iam Romam reuerſus cum legionibus, naualem coronam. velut traiecti, & quaſi feliciter domiti Oceani inſigne Palatinæ domus fixit faſtigio.

Alloquitur dehinc Claudius velut amicum quendam, cuius monitu hoc carmen ſe ſcribere finxerat; *En, quibus indicas, vt crinem frondea Phœbi ſuccingant, ederæq́; comas auguſtius vmbrent.* Etenim Claudius aliâs, vt Auguſtus, lauru caput erat auguſtè ornatus; ob carmen verò ab ſe ſcriptum auguſtius videbatur decorandus. Quanquam, vt Suet. placet, *ineptè magis, quàm eleganter ſcripſit Claudius.*

Nec obſtet hoc loco; in hoc carmine non tantum modo Solaris, ſed & Lunaris defectus cauſas prodi. Cùm id ipſum imitatus Dio, vtriuſque Planetæ principis Eclipſes hoc in loco declarauerit. Et vel ex Ludo Senecæ ſatis ſuperque conſtat, Claudium Poëſeos fuiſſe perquàm ſtudioſum: cum ob id ipſum opuſculo carmina interſerat ſeneca; ſed & referat, Poëtas perinde ac cauſidicos Claudij obitum perquam luxiſſe; quin, vti retulit Suetonius, pertinaciter liberalibus ſtudijs deditus, etiam moribundus Comœdis oblectari fuerit creditus. Vnde Philoſtratus de hoc Imp. lib. 5 παιδείας δὲ, inquit, ξυμπάσης ἐδόκει ἐρᾶν. *Omnis diſciplinæ, videbatur amans.*

Omnimodis igitur hoc cultum, nitidumq́ue Epos Claudio Imp. vt legitimo Auctori reddendum; id quod ad Chronologiam hanc noſtram haud paullùm facit: certum enim eſt; anno videlicet illo; qui Eclipſin Solis Calendarum Auguſti proximè præceſſit, in Britanniam mouiſſe Claudium. Perperam etiam Dio, vulgares Coſſ. ſecutus Faſtos, hanc Eclipſin in tertium ab expeditione hac annum, vel inuitus conijcere coactus eſt.

CAP. CCLIII.

Ex eiuſdem Claudij Imp. vita, eoſdem Conſulares Faſtos vitiatos, commonſtremus, Chronologica verò noſtratia

ſtratia confirmemus. Diſertis omninò verbis refert Suetonius Claudium Calendis Auguſti natum eſſe Lugduni, eoque ipſo die, quo primùm ara ibidem Auguſto fuit dedicata.

At Seneca, tradit; Claudium 3. Id. Octob. cum annum ageret ætatis 64 vita functum. Hinc itaque Dio ſolos ſolidoſque 63. ætatis annos ipſi largitur. At, mihi, meæque Chronologiæ, Anno Chriſti 55. & quod conſequi neceſſum, anno ante Chriſtum nono V.C. Tab Cap. 736. M. Licinio Craſſo, Cn. Cornelio Lentulo Coſſ. eſt natus. Quo ſanè ipſo anno, etiam Dio refert, Auguſtum, rebus Gallicis, Germanicis Hiſpaniſq; feliciter confectis, Druſo, (ipſius Claudij parente;) in Germania relicto, Romam eſſe regreſſum. Tum itaque Druſus primùm Auguſto aram Lugduni dedicauit, eâdemq; die ibidem filium Claudium ſibi natum ſuſcepit. Id, vel inde conſtet; quippe biennio pòſt, (quanquam biennio iuſto integroque ante annum V.C. Tab. Cap. 743. Iulo Antonio Africano, & Q. Fabio Maximo Coſſ. quo anno iuxta vulgares Coſſ. Faſtos etiam Suetonius natiuitatem Claudij perperam notat.) manifeſtè oſtendit Dio, ante id tempus ad aram Auguſto Lugduni erectam feſtum celebrari fuiſſe ſolitum: *Druſus*, inquit Dio, *cùm Sicambri, eorumq; auxiliarij, propter abſentiam Auguſti, ac quia videbant Gallos iugum ſeruitutis grauatim ferre, bellum mouiſſent; Gallorum primoribus*, προφάσει τῆς ἑορτῆς, ἣν καὶ νῦν περὶ τὸν τοῦ Αὐγούστου βωμὸν, ἐν Λουγδούνῳ τελοῦσι; *prætextu eius feſti, quod hodie etiam Lugduni ad aram Auguſti celebrant, euocatis, ſubditorum motum, praeoccupauit, atque inde Germanos, Friſioſq; cis & trans Rhenum oppugnauit.*

Tradit & Liuius, anno illo V.C. Tab. Cap. 741. ad aram, quæ iam tum Lugduni Auguſto dedicata fuerat ſacerdotem Auguſto creatum eſſe Heduum. Nam in Epitome Liuij lib. 137. narratur; *Ciuitates Germaniæ, cis Rhenum,*

& trans Rhenum positæ, oppugnantur à Druso, & tumultus, qui ob censum exortus in Gallia erat, compositus. Ara Cæsaris ad confluentem Araris & Rhodani (Lugduni videlicet Galliæ) *dedicata Sacerdoteq; creato C. Iulio Verecondaridubio Heduo*; Sicque anno V.C.Tab.Ca.741. Ac subsequentibus lib.138. & 139. prosequitur idem Liuius ea, quæ hisce posteris annis sunt gesta: donec tandem libro 140. vltimum Drusi bellum anno V. C. Tab. Cap. 743. (quo Claudius censetur natus, vulgò) & 744. gestum commemoraret.

Manifesto igitur errore tenentur vulgares Coss. Fasti, dum anno demum V.C. Tab.Cap. 743.paucis tantummodò ante Drusi patris obitum mensibus, natiuitatem Claudij consignant. Nec etiam recens natus, Claudius, sed tantùm infans à patre defuncto relictus, refertur à Suetonio.

CAP. CCLIV.

In iisdem Coss. Fastis vulgaribus, sub Neronis Imperio, annum vnum item abundare, & quidem perinde, vti sub Imperio C. Caligulæ, ac Claudij Impp. illosque ipsos Coss. qui sub Nerone primi Coss. signantur Ordinarij, non nisi suffectos fuisse Coss. in primis probatur ex Suetonio Ausonij, qui, vti supra ostendimus, Imperio Neronis, non velut vulgares Coss. Fasti annos 14. sed solos tredecim attribuit.

II. Eusebius quoq; hist. Ecclesiast. lib. 3. c. 5. Imperanti Neroni solos etiam decem & tres annos adscribit.

III. Philostratus, cùm ab Augusti obitu in Imperij Vespasiani initium solos 50. annos numeret; quod necesse est consequi, Neroni solos largitur tredecim.

IV. Auctor libelli de vita & moribus Romanorum ab Augusto, ad vsque Theodosium, plano, breuique stylo ita scribit: *Domitius Nero imperauit annis tredecim.*

V. Ge-

V. Georgius Abbas, quo de supra, nec semel, & Weingartense Chronicon eiusdem Imperio totidem duntaxat annos assignat.

VI. Tradit Victor in vita Neronis: *Nero quinquennium tantum fuit, augendâ Vrbe maximè, vt meritò Traianus sæpius testaretur; Procul differre cunctos Principes Neronis quinquennio.* Hæc Victor.

Atqui anno Imperij Neronis quinto (vulgò anno sexto & septimo) Tigranocerta vltrò sese Neroni dedidit, Neroque Tigranen in regnum Armeniæ misit. Hircani etiam legatos misère ad Neronem, societatem oratum; attineri à se Vologesen in pignore amicitiæ ostendentes, ipso scilicet Nerone Augusto quartum, & Cosso Cornelio Lentulo Coss. Nec verò est, aut vllo modo potest esse dubium, hunc ipsum annum, vti & nostra præ se fert Chronologia, ad primum Neronis pertinere quinquennium, perperamque in vulgaribus Coss. Fastis anno Neronis sexto, septimoque tribui.

VII. Ex Neronianæ ætatis ratione, omnium certissimò euinci potest, Coss. vulgares Fastos esse vitiatos & erroneos. Hos enim secutus Suetonius, & alij, Natiuitatem Neronis nouem mensibus post mortem Tiberij; & quod consequi necesse est, Imperij C. Caligulæ mense nono signant. At constat ex his, quæ supra posita sunt, C. Caligulam ipso hoc primo Imperij sui anno, patruum suum Claudium, sibi in Consulatu assumsisse Collegam, ne dum, vt eundem tum habuerit ludibrio. Disertè sanè tradit idem Sueton. eo tempore, quo Nero natus fuerit, Claudium pro ludo & ludibrio aulæ habitum. *Neroni*, ait, *futuræ infelicitatis signũ euidens die lustrico extitit. Nam C. Cæsar*, (Cæsar, inquit, nec dum .n. Augustus:) *rogante sorore, vt infanti, quod vellet, nomen daret: intuens Claudium patruum suum*, (à quo mox Principe Nero adoptatus est) *eius se dixit dare, neq; id ipse*

seriò, sed per iocum, & aspernante Agrippina, quòd tùm Claudius inter ludibria aulæ erat. Isthæc Suetonius hactenus.

Nullo itaque modo, vulgares Coss. Fasti possunt defendi; quod Neronis natiuitatem, Imperij Caij nono demum mensi tribuant.

Idem error ex isthoc altero Suetoniano loco similiter redarguitur : *Nero*, inquit, *trimulus patrem amisit : cuius ex parte tertiâ hæres, ne hanc quidem integram cœpit, correptis per cohæredem Caium vniuersis bonis; & subinde matre etiam* (Agrippina matre Caii) *relegata, penè inops atq; egens apud amitam nutritus est.* Hæc Suetonius.

At constat Agrippinam à Caio, anno Imperij sui penultimo, vti etiam Dio retulit relegatam. Itaq; Nero 9. mensibus post mortem Tiberij natus, non potuit patrẽ amisisse trimulus. Atqui annus Imperij Caij penultimus est mihi annus Christi 41. quo Nero trimulus patrem amisit, & Caius Neronis matrem, sororemque suam Agrippinam relegauit.

Nero igitur, potius natus est anno vno & tribus circiter mensibus ante mortem Tiberij, anno videlicet Christi 38. desinente. Ideoque apud Suetonium nostrum, cum & Viterbiensis, & Lislæi Codex habeat; *natus est ante nonum mensem, quàm Tiberius excessit.* Ego legendum puto; *natus est ante annum & tertium mensem, quàm Tiberius excessit.*

VIII. Exemplo Caij & Claudij, sub Neronis eiusdem Imperio, ij Coss. qui in vulgaribus Coss. Fastis, primi sub Imperio Neronis Ordinarij signantur Coss. anno præcedente videntur fuisse Coss. suffecti : Ipse scilicet Nero Claudius, & L. Antistius Vetus. Id confirmare, certumque reddere licet ex antiquis inscriptionibus; in quibus ipse Nero in hoc suo primo Consulatu, quem cum L. Antistio Vetere Collega suo gesserat, non Augustus nominatur : cùm cognomen Augusti, si quidem iam Augustus

Consulatum illum iniisset, vti vulgares Coss. Fasti passim exhibent, vtique non fuisset omissum. Ianus Gruterus Antiquar. Inscript. p. 1070. nu. 6. & Ianus Iacobus Boissardus Topographiæ Romæ, parte 6. seu Tom. 4. f. 125. cum imaginibus ad viuum delineatis extra Ostiensem Portam extare referunt hanc inscriptionem.

HERCLI SANCTISSIMO VOTO
SVSCEPTO.
C. HERODES DE SVA IMPENSA DD.
EID. APRIL. L. ANTISTIO ET CLAVDIO NERONE COS.

Onuphrius in antiquá figuliná;

EX PRIVATA L. SERVILI. FORTVNATI.
MACEDON. T. STATILI MVNERI
NERO CLAVDIVS CÆS. L. ANTISTIVS VETVS COS.

IX. In eadem ætate Neronis atque Britannici manifesta penes Tacitum discrepantia, vulgares Coss. Fastos, quos alioquin ipse sequitur, apertè infringit, nostratem verò hanc temporis rationem approbat.

Etenim anno V. C. vt ipse numerat, 803. *Adoptio*, inquit Tacitus, *Domitij Neronis à Claudio festinatur: biennio maiorem natu Domitium filio Britannico anteponit.* His sanè verbis Tacitus Neronem solo biennio Britannico seniorem adserit. Et anno V.C. 807. desinente; *Vix*, inquit idem Tacitus, *septendecim annos egressus erat Nero.* Aque anno 808. proximè consequente, & quidem desinente, sibimet contradicit Tacitus: *Nero*, ait, *propinquo die, quo quartum decimum ætatis annum Britannicus explebat, festis Saturno diebus, veneno Britannicum aggressus sustulit.*

Quamobrem, Nero tum annum ætatis decimum octauum erat egressus, cùm Britannicus annum ætatis demum quartum nec dum omninò explesset; vt, quod consequi necesse, non duobus tantùm, vt paulò ante docuerat Tacitus, sed quatuor annis & amplius, Nero Britannicum antecesserit. Idq; certum, ratumq; esto: cùm Nero reverâ natus sit anno Christi 38. 18. Cal. Ian. & Britannicus demum anno Christi 43. pridie Id. Febr. Ideque iuxta hanc nostratem nouam Chronologiam, Nero, anno Christi 56. exacto iam primo Imperij sui anno, annum ætatis suæ 18. iam iam egressus, veneno sustulit Britannicum, qui annum ætatis suæ quartum decimum nec dum omninò compleuerat.

X. Ex ætate Octauiæ, Claudij atque Messalinæ filiæ, Neronis vxoris hoc ipsum adstruamus. P. Mario Celso, ac L. Asinio Gallo Coss. qui & nobis, & vulgò, absque controuersia, Christi annus est 62. Tacitus de hac Octauia: *Ac puella*, inquit, *vicesimo ætatis anno mori iubetur.*

Lib. 60. p. 767. Atqui Dio, eo ipso anno, quo C. Caligula cæsus est, refert Claudium iam Imp. hanc suam & Messalinæ filiam Octauiam, tum L. Iunio Silano despondisse; τὰς, ait, θυγατέρας ἐν τῷ ἔτει τούτῳ, τὴν μὲν, (Octauiam) ἐγγυήσας Λουκίῳ Ἰουνίῳ Σιλανῷ: τὴν δὲ ἐκδοὺς Γναίῳ Πομπηίῳ Μάγνῳ, οὐδὲν ἐξαίρετον ἔπραξεν. *Filias duas eodem anno, vnam* (Octauiam) *L. Iunio Silano; alteram, Cn. Pompeio Magno nuptum tradens, nihil à vulgari consuetudine eximium fecit.*

Et quidem iuxta vulgares Coss. Fastos, annus ille, est annus CHRISTI 41. Ex quo sequitur, hanc Octauiam fuisse desponsatam, antequam esset nata; si quidem vulgares Coss. sequamur Fastos. At mihi, iuxta hanc nostratem Chronologiam anno Christi 42. nata, & anno 62. ætatis suæ anno 20. mori coacta; Christi verò anno 43. C. Caligula iam cæso, est desponsata. Vnde de hac ipsa Octa-

Octauia Suetonius: *Claudius*, inquit, *ex Petina Antoniam, ex Messalina Octauiam filiam tulit: Antoniam Cn. Pompeio Magno, deinde Fausto Syllæ; Octauiam Neroni priuigno suo collocauit, Silano ante desponsatam.* At, si vulgares Coſſ. Faſtos tenere voluerimus, ex Taciti mente neceſſe eſt hoc abſurdum, vt diximus, admittere, deſponſatam hanc fuiſſe Octauiam, priuſquam eſſet prognata. Sic ſupra cap. 223. ex eodem probauimus Tacito, Nerone Auguſto tertiùm, & M. Valerio Meſſala Coſſ. anno CHRISTI (tam mihi, quàm vulgò) 58. ſub eiuſdem Neronis Imperio, annum fuiſſe tertium & ſexageſimum, ex quo Druſus aggerem coërcendo Rheno inchoaſſet condere: cùm alioqui iuxta Coſſ. vulgares Faſtos annis ante id tempus 67. obierit, ita vt iuxta vulgares Coſſ. Faſtos Druſus quatuor poſt obitum ſuum annis demum eum aggerem cœpiſſet exſtruere.

CAP. CCLV.

Ab Imperio Neronis, Onuphrius Panuinius Conſules annuos rectè, ac ſuo locauit ordine. Si quidem, vt 204. cap. diximus; anno CHRISTI 277. ex Faſtorum Græcorum, Caſſiodori, Libelli de Præfectis Vrbis, aliorumque Auctorum complurium auctoritate ac ſententia, Conſulatum Probi Auguſti, atque Anitij Paulini Coſſ. Ordinariorum (quos tamen Onuphrius omiſit perperam) inſeramus. Id quod etiam exinde probatur: quia cæteroqui Probus Onuphrio non niſi quinque annos, præter menſes quatuor imperaſſet: cùm tamen Eutropius Imperio Probi diſertè tribuat annos 6. menſes 4. vt & Georgius Taraſij Patriarchæ Conſtantinopolitani Syncellus; Sextus Aurelius Victor, & Faſti Græci, ἐν πλάτει, annos totidem, Zonaras non omninò, ſed ferè ſex, Iulianus Apoſtata in ludo de Cæſaribus; τούτῳ, inquit, συνέρχεται ὁ Πρόβος, ἑβδομήκοντα πόλεις ἀναστήσας ἐν

οὐδὲ

ὐδὲ ὅλοις ἐνιαυτοῖς ἑπτά. Huic Probus concurrit, septuaginta Vrbibus annis non totis septem euersis. Omninò itaque hi Coss. Ordinarij, Fastis Coss. quos Onuphrius composuit, anno Christi 277. inserendi, & reddendi.

CAP. CCLVI.

Idem, atque vnà hæc noua nostra χρονολογικὰ comprobantur ex Eclipsi Solis maxima, quæ contigit die Aprilis 12 anno Christi 237. Tunc enim Romæ horis post meridiem 4. 56. è diametro Solis defecerunt digiti 10. 46. Idque contigit P. Titio Perpetuo, & L. Ouinio Rustico Corneliano Coss. eo ipso tempore, quo M. Antonius Gordianus Imp. est electus; vt vel inde colligitur: quippe Maio mense proximè subsequente, Romani occasione huius electionis, quę Tysdri in Africa fuerat facta, deficere cœperunt à Maximino: adeoque omnibus Maximini amicis inde occisis, 6. Cal. Iunii Romæ, ab ipso Senatu ambo Gordiani Augusti sunt appellati. Cæterùm, vix vno mense acto, bellum hiscé Gordianis est illatum: ac in eo bello, Gordiano iuniore cæso, Pater eius sibi mortem conscíuit: quo Romæ audito, idem Senatus 7. idus Iul. Maximum & Balbinum creauit Impp. ac tum Gordianus tertius, pòst Imperator, senioris filiâ natus, tumultuanti populo ostensus, atque Herodiano auctore, Cæsar est dictus.

Hinc Sex. Aurel. Victor, (cui, tanquam Afro, de re in Africa gestâ, & qui non ita diu post floruit, iure, tutoque fides habenda;) hæc scribit: *C. Iulius Maximinus Imp. filiusq. eius pari nomine Cæsar factus est. Quis biennium* (anno videlicet Christi 235. & 236.) *summis potitis, repente,* (circa diem 12. Aprilis anni 237.) *Antonius Gordianus Africa Proconsul ab exercitu Princeps apud Thydri opidum absens fit; qui Carthaginem petit: Ibi, cùm auertendis prodigiis* (maxima videlicet illa Solis Eclipsi) *quorum metu, haud inane angebatur rem diuinam solitis ageret, repente hostia partum edidit. Id haruspices, atq. ipse, ita accepère;*

cêre; Illum destinatum neci, liberis Pariturum Imperium. Progressiq; coniectu longius, liberis quoq; exitum denunciauêre, nec diuturnum, subiectumq; insidijs. Hæc Victor.

E quibus verbis apparet, ab Haruspicibus, & ipso quoque seniore Gordiano, fuisse creditum, hanc Solis Eclipsin adeò prodigiosam, designare, ac notare Imperium Gordiani Tertij natu minimi; qui paulò post insidijs Philippi fuit cæsus. Hinc item Iulius Capitolinus, sub Gordiani huius tertij Imperio mentionem eiusdem Eclipseos faciēs: *Indiciū*, inquit, *non diu imperaturi Gordiani* (etiam huius tertij;) *hoc fuit, quòd Eclipsis Solis facta est, vt nox crederetur, neq; sine luminibus accensis quidquam agi posset.* Hæc Capitolinus.

Quo in Capitolini loco excutiendo, Henricus Bontingus deceptus hanc Solis Eclipsin, non nisi sub Gordiani huius tertij contigisse arbitratur Imperio: atq; idcircò totam horum temporum peruertit historiam.

Hæc itaq; prodigiosa Eclipsis Solis; quæ eo tempore contigit, quo Gordianus senior Imperator est electus; propterea, quia credebatur Imperium Gordiani tertij portendisse; ob id à Capitolino sub illius Imperio demum est notata; perinde vt Solis quoque illa Eclipsis maxima, quæ anno Christi 17. contigit; propterea quòd Augusti præsignasse mortem fuerit visa; hinc biennio demum post, temporeque ipsius Augusti obitus à Dione ac alijs est consignata.

Sic illa, quæ anno Christi 393. euenit, anno CHRISTI 394. proximè consequente recensetur à Zosimo.

CAP. CCLVII.

Nec verò impugnat, sed propugnat potius hanc nostram Chronologiam id, quod de Eclipsi post Augusti obitum facta traditur. Tametsi enim Dio Cassius de Pannonica militum seditione, quæ post mortem primum Augusti contigit, scribat; τῆς σελήνης ἐκλιπούσης ἐκθυμηθέντες ἀπημ-

Mm βλύ-

βελύθησαν. Luna deficiente consternati, sedati sunt : vt videatur innuere, veram tum Lunæ defectionem euenisse. Attamen apertè satis ostendit Tacitus, non ex Eclipsi vera, sed ob nubes tum exortas, Lunam esse obscuratam; *Luna*, inquit, *claro repente cælo, visa languescere. Id miles rationis ignarus omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimilans, prosperéq; cessura, quæ peregerant, si fulgor & claritudo Deæ redderetur. Igitur æris sono, tubarum cornuumq; concentu strepere; prout splendidior, obscuriorué, lætari, aut mœrere. Et postquam ortæ nubes offecère visui, creditumq; conditam tenebris, (vt sunt mobiles adsuperstitionem perculsæ semel mentes) sibi æternum laborem portendi, sua facinora auersari Deos lamentantur.* Hæc quidem hucusque Tacitus. Vnde apparet, non veram tunc fuisse in Luna Eclipsin; in quâ, vtique paulatim tenebris Luna obducitur, mergiturque, & ex ijsdem pariter, vicissimque emergit; non autem subinde splendidior, obscuriorque euadit.

Præterea constat, Augustum 14. Cal. Septemb. seu 19. Augusti obijsse: Eclipsis verò illa Lunæ, quæ anno Christi 14. (in quem Augusti mors iuxta vulgares Coss. Fastos inciderat) contigit 27. Septemb. ab Augusti morte deinceps die 39. euenit. At fieri non potest, ea, quæ inter mortem Augusti, & hanc Lunæ obscurationem facta narrat Tacitus, 39. duntaxat diebus effecta. Inprimis enim Sueton. in Vita Tiberij, c. 22. *Tiberius*, ait, *excessum Augusti nō prius palàm fecit, quàm Agrippa iuuene interempto. Deinde, cum iam de Augusto palàm factum esset, non pauci dies elapsi sunt, donec id milites in Pannonia resciscerent.* Et tradit Tacitus, eos tum in seditionem motos, filium Bloesi Romam misisse ad Tiberium. Exin Tiberius filium suum Drusum Cæsarem vnà cum Seiano in Pannoniam misit, tum demum Luna ibidem obscurata. Quare omninò maius temporis requiritur spatium, quam sunt 39. dies, ab Augusti morte ad isthanc Lunæ defectionem.

CAP. CCLVIII.

Vniuersim verò hîc obseruandum, adeoq; alta mente condendum, nostram hanc Chronologiam, minimè infringi posse illis argumentis, quæ ex ijs desumuntur Auctoribus, qui & ipsi vulgares Coss. Fastos sunt secuti. Vt puta, si quis ex Dione, alijsué Auctoribus, qui vulgarium Fastorum ductum sequuntur, Eclipsin Solis vel Lunæ, aliamué aliquam rem, hoc vel illo anno alleget.

Etenim cuiusuis generis Auctores passim assueuerunt, vt & hodie solent, res quasuis gestas, illi temporum adaptare rationi, quàm ipsi & sequuntur, & veram esse censent; etsi reipsa fortè sit falsa, & prorsus erronea. Nec mouere nos debet Auctorum illorum vetustas ac grauitas cum vulgarium Fastorum error sit vetustior, adeoque vetustissimus, ac plerosque temporum sequentium Auctores, vel hoc nomine facilius vnà secum à legitima seduxerit semita.

Et contrà; si vulgares Coss. Fasti essent veri; non vtiq; tot grauia, & necessariò contrarium concludentia, promerentur inde argumenta: sed neque noua hæc nostra Chronologia tot, certisque vallaretur rationibus, nisi Veritas, præsertim Astronomica, pro ea passim staret.

Idem, quod de Autoribus hîc trado, de vetustis etiam nummis & inscriptionibus velim monitum.

Nam & iam vetusti nummi, qui temporibus Iustiniani pro gemmis habiti: Et inscriptiones, quæ ad nos pertigerunt, vt plurimum tardius, posterisque demum temporibus sunt fusa, facta, & effigiata, ac, quod consequi est necesse, ad illam temporum rationem, quæ tum vulgò pro vera habita, sunt accommodata, vt exemplis non paucis id demonstrari posset; nisi ex hactenus disputatis, exempla suppetere animaduerterem.

CAP. CCLIX.

Sed nec obstant, officiuntque nobis obseruationes illæ cœlestes, quæ in Syntaxi magna Claudij Ptolemæi certis quibusdam Imperatorum adscribuntur annis, & quidem annis alijs, quàm vulgares, & nostri etiam Coss. Fasti (qui vtriq; hisce consentiunt temporibus) præ se ferant.

Etenim nullum mihi planè dubium est, annos illos Imperij illorum Impp. ex falsis, corruptisué Coss. Fastis esse ortos; & à Theone fortè, vel Pappo adscriptos; cum Ptolemæus ipse, nullam anni Iuliani, nedum dierum natalium Imperij cuiusuis Imperatoris, qui ex ratione dierum anni Iuliani dependet, rationem habuerit; sed passim, & vndique, non nisi annos Ægyptios æquabiles, & quidem à Nabonassare consurgentes vsurpauerit.

Cuius rei argumentum euidens est defectus Lunæ, quem ipsemet Ptolemæus die 5. April. Anno Christi 125. obseruauit. In Græco enim contextu pag. 102. Ptolemæus hanc Eclipsin τῷ η̄ ἔτει Ἀδριανοῦ, *Octauo anno Adriani* adscribit rectè, vti & vulgares, nostrique Coss. signant Fasti. Attamen versio Latina antiqua, vti & Arabica, quemadmodum Ios. Scaliger de Emendat. Temp. lib. 5. pag. 244. & Iacobus Christmannus ad Alfraganum pag. 280. attestantur, eandem anno demum Adriani nono tribuunt.

CAP. CCLX.

De Eusebij, S. Hieronymi, vt & S. Prosperi Chronicis ita sentio. Vulgata, & iam olim excusa tum Eusebij, tum S. Hieronymi Chronica anno mundi 3184. exacto, initium Abrahami; atque hinc annis 2014. actis; annoq; ipso mundi 5198. completo, Imperij nimirum Augusti 40. annorum Domini signant initium integro ante vulgarem Christi Epocham triennio. Et verò annorum Domini appellatione intelligunt annos Incarnationis Christi Constantinopolitanos, qui vulgarem Christi Epocham integro triennio præcedunt.

Illa verò tum Eusebij, tum S. Hieronymi Manu exarata Chronica, quæ anno quidem mundi 3184. initium Abrahami statuunt; atqui inde annis 2015. desinente nimirum anno mundi 5199. annos Domini inchoant, illa non Incarnationem Christi signant, sed Natiuitatem, biennio scil. ante CHRISTI Epocham vulgarem, iuxta Græcorum videlicet calculum, & cumprimis Constantinopolitanorum anno CHRITSI nati, non autem incarnati notant.

Horum Chronicorum manu scriptus Codex Victorinus & Oisellanus, sub titulo, atque serie Alexandrinorum annum Ptolemæi, qui & Alexander, decimum omittunt; ac, quod consequitur, ab initio Abrahami ad Christi Natiuitatem solos 2014. annos præferunt.

Idem Victorinus & Oisellanus MSS. sub annorum Domini appellatione; quos exhibent adscriptos, eosdem nati Christi, iuxta Græcos, qui vulgares Christi annos biennio præuertunt, designant annos.

Hos eosdem nati Christi annos Græcos secutus videtur horum Chronicorum Codex Fuxensis. Quippe anno Valentis Imp. vltimo, qui est annus Christi vulgaris 378. adscripsit annum Christi 380.

Huiuscé rei ignorantia in errorem induxit Auctorem Codicis Lodonensis. Etenim in eo Codice annus ille, quo Valentinianus octauum Consul fuit, qui est vulgaris annus Christi 455. signatur annus Chronici Prosperi & Tyronis 75. cum re verâ sit 77. non autem 75. ab anno videlicet 378. excluso, in annum eundem 455. inclusum. Nam illius Codicis Auctor cùm animaduerteret S. Hieronymi Chronicon desinere vna cum anno [Domini, seu nati Christi, iuxta S. Hieronymũ & Græcos] 380. hoscé annos Domini 380. putauit esse annos Christi vulgares. Ideoq; ab hinc in annum Christi 455. vulgarem, non nisi 75. annos inuenit.

Omiſſis igitur horum Chronicorum Manu ſcriptis Codicibus: ſi quidem euulgata Euſebij & S. Hieronymi ſequamur Chronica, initiũ Abrahami ſignatur exacto anno mundi 3184. Initium annorũ Domini (h.e. annorum incarnati Chriſti iuxta Conſtantinopolitanorũ & aliorũ paſſim Græcorum calculationẽ) anno mundi 5198. Et ab hinc triennio, initium annorũ Chriſti vulgarium coincidit exacto anno Mundi 5201. Chriſti verò paſſio ſignatur inchoante nimirum anno Mundi 5232. Domini 34. Chriſti vulgari 31. Hieroſolymorum Vrbs à Tito euerſa traditur anno Mundi 5271. anno Domini, iuxta idem Chronicon, 73. ſicq; anno Chriſti vulgari 70. quo ſanè ipſo anno Chriſti 70. re verâ Titus Hieroſolyma occuparat, & euerterat.

Proinde anno Mundi 5527. Domini verò 329. ipſo demum anno Chriſti vulgari 326. ritè ſignatur annus Imperij Conſtantini Magni viceſimus, eodem anno deſinente deſinens, quo & Euſebij Chronicon deſinit. Exinde anno Mundi 5579. Domini autem 381. anno verò Chriſti vulgari 378. conſignatur annus Imperij Valentis quartus decimus, ipſo ſextùm, & Valentiniano ſecundùm Coſſ. cumq; hoc ipſo anno S. Hieronymi Chronicon cõcluditur.

Dein anno Mundi 5646. Domini 448. (ſiquidem hæc Chronica continuare libuerit,) vulgari verò Chriſti anno 445. Valentiniano Imp. ſextùm, & Nonio Coſſ. anno ſcilicet Imperij Theodoſij XXII. quo cum anno deſinente, Proſperi Aquitanici Chronicon deſinit.

Ab eo igitur anno, quo Titus Imperator ſanctam Hieroſolymorũ Vrbem deleuit, deinceps rectè ſe habent Chronica: dummodo annorum Chriſti vulgariũ differentia, ab annis Domini, ſeu potius ab annis incarnati, vel nati Chriſti, iuxta Conſtantinopolitanos, ritè obſeruetur.

Sed qua de temporum ratione, quæ ante Hieroſolymitanum excidium tranſacta fuit; equidem non ab his

modò

modò Chronicis, Chronologisué, sed ab omnibus, vti visum, Autoribus dissentio.

CAP. CCLXI.

Cùm capite proximo tum de Eusebij & S. Hieronymi, tum de S. Prosperi Chronicis, nostram declarauerimus sententiam, consentaneum est, vt & de ijs, qui vel Notas, aut animaduersiones suas illis Chronicis apposuerunt, quid censeamus, sentiamusque, non dissimulemus.

Hos inter Arnaldus Pontacus Vazatensis Episcopus egregiam hac in re nauauit opem & operam. Etenim ex XXVIII. MSS. & octo typo eulgatis Codicibns varias, diuersásque magno studio annotauit lectiones. Quanquam, quoad ipsam temporum rationem, in eo impegisse videtur, quòd horum Chronicorum annos Domini, quibus anni vel ἐνσαρκώσεως, vel Natiuitatis Christi iuxta Constantinopolitanos signantur sigillatim, ipse confusè, citraq; discrimen aliquod pro annis Christi vulgaribus accipit.

Dein. idem Pontacus in S. Prosperi Chronico, quod singulorum annorum Coss. exhibet, annum vnum sine Coss. (quem Imperij Arcadij sextum decimũ, Domini verò 427. nuncupat) perperam interserit: & hac ratione contra Chronologorum istorum mentem atq; sententiã, res omnes gestas integro anno citius, quàm re ipsa euenerint, signat; ijsque rebus, quæ ab hoc tempore deinceps gestæ sunt, annos Domini adscribit, qui toto quadriennio vulgares Christi annos præuertunt.

Quo pacto, annum XXI. Theodosij, eodem decimùm octauùm, & Albino Coss. adsignat annum Domini 448. (quem & annum Christi 448. vulgarem opinatur:) cùm aliòqui re verâ sit annus Christi vulgaris 444. id quod vel hinc potest demonstrari. Alcobatiensis & Lodonensis MS. Codex Chronici Prosperi,

vti & Marianus, alijque; adeoque S. Leo Papa in Epistolis, tradunt, eo anno 9. Cal. Maij, *Pascha Domini* esse celebratum; & biduò ante, 11. scilicet Cal. Maij, ipsa die Palilium, seu Vrbis Romæ Natali, Christi passi diem natalem, seu feriam sextam: ob cuius reuerentiam dies ille Natalis Vrbis, sine ludis Circensibus Romæ actus est; id quod non nisi 444. anno Christi vulgari potuit contigisse.

Idem Pontacus hac ratione Chronico S. Prosperi tribuit annos 68. cùm aliòqui fateatur Lodonensem, vti & Nicolai Fabri, Vulgatumque Codicem solos 67. annos præferre. Quid, quod Imperio Arcadij tribuit annos sexdecim: cùm profiteatur, præter Cassiodorum, Bedam & Marianum, etiam Lodonensem Codicē solos annos quindenos eidem Imp. assignare, quot eidem annos Vlricianus Codex attribuit. Proinde, non satis cautè ipsa libri inscriptione Pontacus prænotat, hęc Chronica ab Abrahamo ad annum vsque Christi 449. protendi.

Sed & ille Pontaci error Chronologicus obseruatu, vel potius vitatu dignus esse videtur; quod in Eusebij Chronico ritè quidem exacto anno Mundi 5198. atq; exacto anno Herodis 31. inchoat annos DOMINI, Incarnationis nimirum, iuxta Constantinopolitanos; sed, lapsu manifesto, primum annum DOMINI conijcit in annum Imperij Augusti 42. cum oportuisset eundem attribuere anno Imperij Augusti 41.

Quamobrem, vti patet, vno in temporibus Romanis annotandis anno deficit. Inde, vt huiusce anni defectum supplemento aliquo instauraret, Anno DOMINI 219. qui est annus Christi vulgaris 216. Imperio Antonini Caracallæ, annum integrum, quem Imperij eius annum septimum vocat, contra cæteroqui compluriuma exemplarium fidem, reique veritatem, interijcit.

CAP.

CAP. CCLXII.

Reſtat, vt, cùm Ioſephus Scaliger Euſebianis Chronicis non paucas animaduerſiones appoſuerit, quid de ijs quoque ſentiendum putem, exponam.

In primis Scaliger non animaduertit, vulgares Chriſti annos, quos ipſe cum alijs nonnullis Auctoribus à Dionyſio Exiguo Dionyſianos vocat, nequaquam ab Natiuitate, ſed ab incarnatione Chriſti conſurgere; atque ab Eccleſia Catholica ROMÆ fundata, iam olim ita eſſe inſtitutos, vt vnà cum die 8. Cal. Aprilis, ſeu XXV. Martij, inchoante atque currente anno ab Epocha Chriſti vulgari primo ſumant initium.

Deinde; ſciuit quidem probè Scaliger, Veteres, (Græcos præſertim, & cum primis Conſtantinopolitanos) annos Domini. ſeu Chriſti numeraſſe, qui vulgarem Chriſti Epocham biennio antecederent, (annos videlicet τῆς παρουσίας, καὶ γενέσεως, Natiuitatis Chriſti) quos etiam ipſe Scaliger eſt ſecutus. At interim ignorauit, eoſdem Veteres etiam alios annos Domini, ſeu Chriſti numeraſſe τῆς θείας σαρκώσεως, Incarnationis nimirum, qui vulgarem Chriſti Epochã triennio præceſſerint; quales ſunt illi, qui in vulgaribus Euſebij, S. Hieronymi, & S. Proſperi Chronicis interſeruntur. Cuius rei ignoratio, neglectuſque, haud parum in tranſuerſum egit Scaligerum.

Tertiò, Scaliger, non anno Mundi 5198. ſed anno Mundi 5199. exacto, annorum Domini auſpicatur initium. Et potuiſſet quidem id tolerari facilè; ſi quidem annos illos Domini de annis CRISTI nati Conſtantinopolitanorum, qui, vt inculcamus, Epocham Chriſti vulgarem biennio præuertunt, accepiſſet; cùm horum Chronicorum MSS. complures Codd. illos annos præ ſe ferant.

At Scaliger exiſtimauit perperam annos illos Domi-

 ni

ni, vnico duntaxat anno vulgarem CHRISTI Epocham præcedere; id quod ex ipſius animaduerſionibus pag. 160. ſatis conſtat.

Quartò, idem Ioſephus aberrauit eò, quòd annum Imperij Auguſti 42. quemadmodum & Pontacus in annum Mundi 5199. coniecerit. Eſt quidem aliòquin Auguſti annus 42. iuxta hæc Chronica annus ante vulgarem CHRISTI Epocham primus, ſed in annum Mundi 5200. referendus.

Quintò, prætereà duplici, & vtroq; apertiſſimo ſanè lapſu tempora illa imperium Diocletiani, & Conſtantini Magni attingentia valdè conturbauit Scaliger. Tametſi enim in ipſa Euſebij Chronicorum, & ipſius Scaligeri ſerie, Imperio Aureliani aſſignentur anni 5. menſes 6. Atque hinc Imperio Taciti menſes 6. Floriani verò dies 89. Scaliger tamen hiſcé tribus non niſi annos 5. tribuit; ſicque integrum annum, intercipit, & auertit. Vt verò iſthunc annum reſarciret, Imperio Caij, eiuſque liberorum Carini, & Numeriani, præter duos illos annos, quos ſolos Chronicorum ſeries diſertis ſanè verbis eorum apponit Imperio, Scaliger ſuopte iure, ac marte, tertium annum velut mantiſſam aliquam ſuperinijcit. *Vis quidem hæc eſt*, quæ contextui ipſi Chronico, & quidem ab ipſo Scaligero exhibito, infertur propalàm.

Sextò demum, vti ex eius animaduerſionibus pag. 229. & 230. probè patet, perperam idem opinatur Scaliger, anno demum Chriſti vulgari 307. 24. die Septemb. Conſtantinum Magnum iniuiſſe Imperium: cùm 8. Cal. Auguſti anno vulgari, ſeu Dionyſiano Chriſti 306. Patri Conſtantio ſucceſſerit. Vnde, (vti ex more Chronologici errores familiam ſolent ducere) quod neceſſe eſt conſequi, Scaliger idem ſubinfert Nicomedienſes Vicennalia, imò vniuerſum Orientem Conſtantini Magni

tricennalia integro anticipasse anno, iustoque citius eadem celebrasse; cùm ipse Constantinus, vt quidem Scaliger somniat, tempus suis tricennalibus congruum viuus non attigerit.

CAP. CCLXIII.

Vt autem penitius constet, quàm intersit, genuinam, atque exactam temporum tenere Chronologicam rationem ac notitiam, in exemplum capiamus. Cæsaris Baronij *S.R.E.* pię memorię. Cardinalis Annales Ecclesiasticos, laude omni, atq; approbatione dignissimos: quos vir ille, vt doctissimus, ita disertissimus, secundum ordinem ac seriē tam temporum, quàm rerum in Ecclesia gestarum, mira digessit concinnitate. Nam, vt veram inprimis temporum indagaret rationem, nullum non mouit lapidem, nec vllum recusauit laborem. At cùm ipsi passim Chronologi, (quorum princeps munus res gestas certis, suisque assignare strictim temporibus) ante Diocletiani Imp. ætatem, tempora ferè confusa, dubia, & incerta reliquerint, quod consequi necesse fuit, Cardinalis Baronius, id, quod cæteroqui summo aggressus fuerat studio, cōsequi non potuit.

Etenim annum primum Christi vulgarem, seu Dionysianum adscribit Augusto decimū tertium, & Plautio Syluano Coss. Et sanè Constantinopolitanis, & Græcis plerisque, vti & M S S. nonnullis Eusebij, S. Hieronymi, & S. Prosperi Chronicis annus primus Domini, seu nati Christi, iuxta vulgares Coss. Fastos in eosdem illos Consules incurrit. Atqui annus ille vulgarem Christi epocham, toto præcedit biennio: & Baronius vulgares Christi annos sequitur. At iuxta veros Coss. Fastos, Consules illi anno demum Christi vulgari quarto Magistratum tenuerunt.

Persequitur inde porrò Baronius Coss. Fastos vulgares, corruptos illos quidem, quos ipsi etiam Chronologi hactenus sunt secuti.

Anno tamen Christi vulgari 43. Caium Caligulam Augustum quartùm, & Cn. Sentium Saturninum Coss. rectè signat Ordinarios. Et est hic ipsissimus ille annus ex prioribus 276. Christi annis, solus, atque vnicus, quẽ Coss. Romanis ritè assignauit. Siquidem anno proximè consequente, iuxta quidem vulgares Coss. Fastos, pro Ordinarijs adscribit Coss. qui profectò non nisi suffecti fuère Coss.

Inde ab anno Christi 45. ad Decios vsque Coss. (quos ipse anno Christi 253. attribuit; cùm anno Christi 251. in Magistratu consulari fuerint) cuilibet ordinariorum Consulum pari eum annum Christi assignat, qui vulgarem illum annum Christi biennio superat, quo re verà Consules illi Magistratum gesserunt.

Neque id vsque adeò mirum videatur, cùm, vti iam diximus, tam Græcorum, quàm Latinorum Chronologorum plerique, in annis Christi nati biennio amplius numerare sint soliti, quàm vulgares Christi anni præ se ferant. At Baronins non illos, sed vulgares Christi annos sequitur.

Post Decios inde Coss. annum vnum interponit Baronius, Decio & Grato Coss. qui tamen, ipsomet Baronio teste, biennio ante fuère Coss. Ideoq; hinc deinceps annis octo consequentibus, Baronius in annis Christi, triennio plus numerat. Nec mirandum: cùm & Constantinopolitani annos τῆς θείας σαρκώσεως; & vulgata Eusebij, S. Hieronymi, & S. Prosperi Chronica, annos Domini triennio ante vulgarem Christi Epocham numerent.

Sed & post Fuluij Æmiliani & Pomponij Bassi secundùm, Consulatum; quos ipse anno Christi 262. signat; cùm aliòqui re vera, anno 259. in Magistratu fuerint; Baronius integrum biennium, cum totidem Consulum paribus omittit; Cornelio, scilicet, seculari secundùm, & Iunio Donato Coss. ac Gallieno Augusto quartùm, & Petro-

nio Volusiano Coss. Ideoque hinc in annum vsque Christi 275. quem ipse Christi 276. vocat, vnico item anno plus æquo in annis Christi numerat.

Dehinc annum alium, cum suis omittit Coss. Tacito nimirum Augusto, secundùm, & Æmiliano Coss.

Deinceps autem velut regiam, prætoriamque veritatis ingressus viam, eos Coss. quos Onuphrius Panuinius perperam omiserat, in Ordinariorum Coss. album, numerumque suoque loco restituit; Probum scilicet Augustum & Anitium Paulinum: quos etiam anno Christi vulgari 277. ritè adscribit.

Hac ratione tota Ecclesiasticorum Annalium Baronij series, ad veram, legitimam, atque exactam temporum rationem haud magno negotio reduci, suoque Chronologico nitori restitui poterit: dummodò meminerimus, Consularibus illis Fastis, quos Onuphrius Panuinius digessit, ab Augusti obitu, vsque ad Neronis obitum, demendum esse illud quinquennium, de quo suo loco fusè disseruimus: & anno eidem Christi 277. adiungendum esse par illud Ordinariorum Consulum, quorum modò meminimus.

CAP. CCLXIV.

Anno Mundi 3955. exacto CHRISTVM Incarnatum, & vulgares annos Christi consurgere.

Exacto anno Mundi 3955. Incarnationem D. N. IESV CHRISTI ponimus, ita vt anni vulgares Christi ex hoc tempore consurgant. Quod ne absque ratione asserere videamur, pauca quædam huius sententiæ nostræ fundamenta iacere, & in medium afferre operæ pretium fuerit.

Ac primò quidem hoc ex autoritate, & traditione Hebraica, iuxta D. Hieronymum teste Beda, & Sixto Senensi in Bibliothecæ suæ Tomo 2. pag 50. probamus. Venerabilis etenim Beda, de ratione temporum, seu computi, iuxta D. Hieronymum quem reuerendissimum Hebraicæ veritatis interpretem vocat, refert se ex autoritate Hebraica, ab Adamo ad diluuium numerare annos 1656.

Inde ad Abrahamum.	292
Exinde ad Dauidem	942
Ad captiuitatem	473
Atque exinde ad Christum	589

Quibus in vnum collectis prodeunt anni Mundi. 3952

Eadem hæc supputatio annorum Mundi vsq; ad Christum, habetur etiam in Vitâ Caroli Magni, ex Annalibus Monasterij Egolismensis S. Eparchij, quam Rhegino vsq; ad annum Christi 814. refert se secutum.

Atqui superius ostendimus, S. Hieronymum integro triennio annos τῆς θείας ἐνσαρκώσεως Incarnationis Christi ante vulgarem epocham Christi inchoasse; ergo si annis Mundi 3952. hosce tres annos adieceris, incidet iuxta S. Hieronymum & venerabilem Bedam, ex autoritate Hebraica vulgaris Epocha Christi desinente anno Mundi 3955.

Quod autem in hac traditione Hebraica, quæ annos Mundi 3952. ad Christum vsq; numerat, initium annorũ τῆς θείας ἐνσαρκώσεως Constantinopolitanorum, qui triennio vulgares Christi annos præuertunt, sit subintelligendũ, id non modo ex ijs constat, quæ iam antea probauimus, verum etiam exinde, quia in Chronicis Eusebij, & S. Hieronymi (in quibus S. Hieronymus Eusebium, & 70. interpretes sequitur) perinde vti in hac traditione, ab initio captiuitatis vsq; ad Christum numerantur 589. anni exactè.

Quin-

Quinimò, id ipſum ex opuſculo quoque Venerabilis Bedæ conſtat, capite ſiquidem finali, ſeu libello ſingulari. De 6. Ætatibus Mundi, exacto quidem anno Mundi 3952. annos Domini inchoat, ſed anno nono Leonis Imperat. (qui eſt vulgaris annus CHRISTI 725. ex octaua die Calend. April. inchoans) annum Mundi, adeoque annum Domini 828. (τῆ θείας σαρκώσεως, videlicet iuxta Conſtantinopolitanos) numerat.

Tametſi aliâs idem Beda, vbi S. Hieronymum non ſequitur, annos vulgares Chriſti ſecundũ Dionyſium ſequatur, eoſq; annos incarnationis Chriſti appellet, & quidem optimè, vti conſtat ex eiuſdem libelli cap. 45. & 47. Atque ex Bedæ libello de Temporibus cap. 13. & 14.

Indicat id ipſum idem Beda in libelli de ratione temporum cap. 47. vbi differentiam triennij in annis Chriſti notat his verbis. *Annos ab Incarnatione Domini quotquot fuerint; in præſenti verbi gratia 725.* (cum tamen prius annum Domini iuxta S. Hieronymum 728. in præſenti numeraſſet) *aſſume, & adde ſemper tria, quia quarta Indictione ſecundum Dionyſium (ſed ſecundum S. Hieronymum prima Indictione) natus eſt Dominus, fiunt 728. hæc partire per 15. remanent 8. ergo octaua eſt Indictio.* Hæc Beda.

Secundò. Titus Annius Viterbienſis tradit, S. Hieronymum in Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos, cap. n. 3. ſcribere. *Chaos Ouidij, Hylo Græcorum, & Abyſſus Moyſes conueniunt. Hæc omnia Naſo in opere magno, à Chaldæis accepta, ad vnguem proſecutus eſt, quin etiam & annos, & homines, ante Regnum Macedonum ſub Alexandro, à quibus orti ſunt, annis circiter quatuor & triginta, ſupra ſexcentos, & tria millia. Quæ ſi retro ab Alexandro ſupputes, peruenies ad Adam primum.* Hæc S. Hieronymus teſte Annio. Tametſi verò non certo conſtet, hanc S. Hieronymi eſſe ſententiam, tamen ex ijs, quæ ſequuntur, clarius

rius res patebit, Chaldæorum opinio fuit, Alexandrum Magnum obijsse anno Mundi. 3634. Constat autem fato eum cessisse anno ante Christum 322. Ergo si annis Mundi plenis 3634. subiungas annos plenos 321. reperies rursus anno Mundi 3955. desinente vulgarem epocham Christi incidere.

Tertiò. Metasthenes Persa, de iudicio temporum & annalibus Persarum, vti vult Titus Annius Viterbiensis, vsque ad Alexandrum Magnum numerat annos mundi dictos 3634. ex traditionibus Chaldæorum.

Nec verò quidquam impedit; quod his annis subiungere videatur annos Alexandri duodecim, id enim ideo contingit, quia iuxta Catalogum Olympiadicum Eleorum tres Anolimpyadas, seu 12. annos omittit, atq; hac ratione annis 3634. subdit annos 12. Alexandri, cum tamen Alexander amplius, quam 12. annis regnauerit. Annis itaque Mundi 3634. adde 321. ante Christum, & conflabis 3955. Vel annis Mundi 3634. adde iuxta Catalogum Olympiadicum Eleorum annos 12. pro Regno Alexandri Magni, & conflabis annos Mundi 3646 His adde annos ante Christum 309. plenos iuxta Chaldæos illos, qui anno ante Christum 310. mortem Alexandri Magni ob id ipsum statuunt, & conflabis rursus annum Mundi 3955.

Quartò. Philo Hebræus, iunior ille, quem edidit T. Annius, de quo Clemens Alexandrinus *στρωμ*. pag. 146. *Φίλων δὲ*, inquit, *καὶ αὐτὸς ἀνέγραψε τοὺς βασιλεῖς τοὺς Ἰουδαίων, διαφώνως τῷ Δημητρίῳ*, *Philo etiam ipse de Iudæorum regibus scripsit, sed aliter ac Demetrius*. Is inquam Philo Hebræus in fine libelli sui de Temporibus disertis verbis tradit, se ex Chaldæis Berosum pro Monarchiâ Assyriorum, & Metasthenem Persam in Annalium iudicijs esse secutum; Et annales Græcorum illos, qui septuaginta seniores Interpretes sequantur, vsq; ad Ptolemæum & A[illegible]n.

Et ſanè vſque ad initium Cyri & Darij (ſeu finem 70. annorum deſolationis Hieroſolymitanæ) numerat annos Mundi 3443. vti Metaſthenes. Et vſque ad Machabæos, ſeu initium Iudæ Aſmonai, iuxta Duces ex ſtemmate Dauid numerat annos Mundi 3798. Quibus ſi adieceris & annos 126. principatus Haſmunæorum vſque in annum illum, quo Herodes Magnus Hieroſolyma iuxta Ioſephū Antiquit. Iud. lib. 14. in fine, & lib. 17. c. 8. cœpit; & illos 31. qui ab anno quo Herodes Hieroſolyma cœpit vſque ad epocham Chriſti fluxerunt, rurſus inuenies anno Mundi 3955. deſinente incidere epocham Chriſti. Imo Philo apertè oſtendit initium annorum Chriſti, in annum regni Herodis 31. conijciendum. *Herodes*, (inquit.) *Aſcalonita anno 30. principatus ſui tyrannici Zanedrim* (*συνέδριον*) *ex domo Dauid deleuit, Salomen ſororem ſuam, itemq. proprium filium ſuum interfecit, quod diceretur iam in lege promiſſus Chriſtus natus, Feſſi tandem Hebræi, vltro ipſi, & eius poſteris regnum obtulerunt, iurantes in fide ipſius, ac poſterorum ſeſe permanſuros, regnauit tyrannico principatu annis triginta vno: legitimo annis ſex.* Hæc Philo.

Quare iuxta traditiones Chaldæorum, Græcorum, 70. interpretum, & Hebræorum teſte Philone, anno Mundi 3955. regnique Herodis 31. deſinente, Epocha Chriſti ſignanda eſt.

Nec verò quidquam officit, quod Philo Hircano vltimo, qui proximè Herodem præceſſerat, annos 34. adeoq; tres annos amplius, quam par eſt tribuat, atque hac ratione annum Herodis 31. in annum Mundi 3958. triennio tardius, quam æquum erat, conijciat; nihil inquam hoc officit, quia in poſtremis hiſce temporibus Faſtos Romanos ſecutus eſt Philo, qui vti iam oſtendimus, circa hæc tempora integro triennio abundant; Nam in fine ſic loquitur. *Inde*, (poſt Aſmonæim videlicet,) *Romanos ſecuti ſumus, qui tempora ſua diligentiſſimè obſeruarunt.*

Præterea cum Philo Principatui Aſmonæorum tribuat annos 129. Ioſephus verò in fine lib. 14. & lib. 17. cap. 8. tantum 126. manifeſtum eſt, Philonem triennium amplius, quam par eſt, illis tribuere. Rurſus, ex eodem Ioſepho lib. 15. c. 9. conſtat Hyrcanum poſt mortem Alexandræ matris ſuæ, quæ nouem annis regnauerat, non niſi 31. annis in honoribus Regni videlicet, & Pontificatus fuiſſe. Idē colligitur ex ſumma annorum, atque menſium, quos Ioſephus à morte Alexandræ vſque ad Herodem enumerat. Tribuit etenim poſt obitum Alexandræ, Ariſtobulo annos 3. Menſes 3. Hyrcano annos 24. & Antigono annos 3. Menſes 3. qui conflant annos 30. Menſes 6.

Accedit quod an. V.C. Tab. Cap. 684. Lucullus Mithridatem perſequens, in Armeniam ingreſſus eam vaſtarit, atque Alexandra, teſte Ioſepho lib. 13. c. fin. poſt id tempus demum obijt anno videlicet V.C. Tab. Cap. 686. à quo anno vſque in annum 716. quo Herodes Hieroſolyma cœperat non 34. ſed tantum 31. anni numerantur. Omninò itaque iuxta traditionem Iudæorum annus ille quo deſinente epocha Chriſti incidit, eſt annus Mundi 3955.

Nec minus alter obſtat Philonis calculus, quem non per Duces ex ſtemmate Dauid, ſed per Sacerdotes ex tribu Leui, vſque ad initium Iudæ Aſmonai numerat, & ad annos regni Regum Perſarum iuxta Metaſthenem accommodat, & initium Iudæ Aſmonai exacto anno Mundi 3786. conſtituit, ſicque annis 12. deficiat, id enim inde accidit, quod Metaſthenes ex catalogo Olympiadico Eleorum, integris annis 12. tardius iuſto mortem Alexandri Magni ſignet; quare Philo in hoc calculo Metaſthenem ſecutus, hos 12. annos omiſit.

Quintò, Beroſus Chaldæus, & Manetho Ægyptius anno 40. Aſcatadis Regis Aſſyriorum decimi octaui, anno Mundi 2484. exacto, initium Regni Troiani, ſeu

Dar-

Dardaniæ ſignant, quo ipſo Mundi anno & Metaſthenes Perſa vltimum Aſcatadis ponit, Maſeas etiam Phœnix Damaſcenus, (cuius & Ioſephus meminit) Maſeamque ſecutus Archilochus, (quem Olympiade 29. floruiſſe tradit Euſebius) à prima nouem menſium ἀνομβρίᾳ, ſeu anno Mundi 1656. ad initium Regni Troiani numerant annos 828. atque ita anno Mundi 2484. initium Troiæ ponunt. Troiæ verò regnum floruiſſe refert Archilochus 297. Manetho 298. annis, ita vt currente anno Mundi 2782. Troia his autoribus videatur capta.

Atqui C. Sempronius de diuiſione & Chorographiâ Italiæ. *Cum*, inquit, *Pomponius Atticus coram Senatu atque doctiſſimis viris conferret Græcorum certiſſima tempora, compertum eſt, quod à Troiâ exciſâ per tempora Regum Latinorum, vſque ad Romulum Regem iam creatum, fluxerint anni circiter triginta, & quadringenti.* Et nos in hac nouâ noſtrâ Chronologia oſtendimus Anno V. C. Tab. Cap. 747. (quo anno vetuſtiores autores annum V. C. 744. numerarunt) vulgarem epocham Chriſti incidere.

Collectis ita annis 2782. & 429. plenis, atque 744. conflatur annus Mundi 3955. quo deſinente iuxte traditionem Aſſyriorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Phœnicum Damaſcenorum, Græcorum & Latinorum autorum vulgaris epocha Chriſti incidit.

Nec obſtat, quod Dionyſius Halicarn. Iulius Solinus, Meſſala quoque Coruinus de progenie Auguſti, ad ipſum Auguſtum ſcribens, & alij, inter Troiam captam, & Vrbem Romam conditam 432. annos plenos numerent, id enim accidit ex errore triennij, quo anni Vrbis conditæ paulo ante tempora Auguſti, vt oſtendimus, abundant, ob quod etiam ipſum tempus Troiæ captæ triennio citius iuſto ab ijs collocatur.

Sextò. Manetho Ægyptius anno Mundi 3221 exactò, signat annum vicesimum primum Cœlij Tuscorum regis, quo anno supplementum quoque suum Historiarum ad Berosum terminat.

Hunc enim Cœlium Thusciæ Regem Sabino bello confecto Romam in Cœlium montem transmigrasse, tradit disertis verbis Varro de re rustica, lib. 4. *In Suburbana*, inquiens, *regionis parte, princeps est Cœlius mons, à Cœlio Vibenno Thusco, duce nobili, qui cum suâ manu dicitur Romulo venisse auxilio, contra Sabinum Regem.*

Tulerat quidem opem Cœlius iste Hetruriæ Rex Romulo in priori bello Latino, teste Fabio Pictore, sed vt Varro inuuit, Sabino demum bello confecto, sedem fortunarum suarum, atque domicilium Romæ fixit, Romulusque vti tradit Dionysius Halicar. anno regni sui quarto (Solari, vti opinor) Latinum bellum confecerat. Indeque non ante integrum annum solarem potuit Sabinum bellum confecisse: Cœlius itaq; Thuscus annis quinque solaribus seu decem semestribus tum temporis Romæ vsitatis elapsis, demum Romam in Cœlium montem transmigrauit.

Atqui annis ante vulgarem epocham Christi 744. vetustioribus autoribus censebatur Roma capta, ex quibus si decem priores subtrahas, Cœlius elapso anno 21. Regni sui Hetrusci annis ante Christum 734. Romã migrauit, quos annos si subiungas annis Mundi 3221. incidet rursus, Manethoni, anno Mundi 3955. desinente, vulgaris Christi epocha.

Septimò. Anno Mundi 1905. exactò, iuxta Berosum, Maseam Phœnicem Damascenum, Metasthenem, Manethonem, cœpit Regnum Nini.

Et Æmilius Sura, apud C. Velleium Paterculum, paulo post principium operis, à Nino vsque ad Syriam à Romanis

manis subactam numerat annos 1995. Subacta autem à Romanis est Syria, & in Prouinciam redacta, anno V. C. Tab. Cap. 691. qui proximè Consulatum Ciceronis sequebatur, sicque mihi annis ante Christum 56.

Collectis itaque, in vnam summam, annis 1905. & 1994. plenis, & 56. Consequens est, iuxta Suram veterem autorem, anno Mundi 3955. desinente, incidere vulgarem Christi epocham exactè.

Octauò, probatur etiam hæc nostra sententia ex inscriptione, quæ in Arsenali Constantiopolis extat.

ΑΠΟ. ΚΤΙΣΕΟΣ. ΚΟΣΜΟΥ.
Δ. Ψ. Ϟ. Β. ΑΠΟ. ΔΕ.
ΧΡΙΣΤΟΥ ΕΤΟΥΣ. Ω. Λ. Δ.
ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΘΕΟΦΙΛΟΣ.
ΤΙΟΣ. ΜΙΧΑΗΛΟΥ. ΒΗΓΑ.
ΑΡΧΩΝ. ΔΙΚΑΙΟΣ. ΚΑΙ.
ΕΥΛΑΒΗΣ ΚΑΙ. ΠΡΟΣ. ΤΟΥΣ.
ΑΥΤΟΥ. ΠΑΡΟΙΚΟΥΣ. ΑΝΗΡ
ΑΓΑΘΟΣ. ΕΚΤΙΣΕΝ. ΠΡΟΣ
ΑΝΑΠΑΥΣΙΝ. ΤΟΥ. ΛΑΟΥ
ΤΟΥΤΟΝ ΜΕΓΑΛΟΤΑΤΟΝ
ΑΡΣΗΝΑΛΗΝ.

Theophilus itaque Michaelis Balbi filius, Imperator Constantinopolitanus, anno Christi 834. (vulgari, seu Dionysiano) numerauit annum Mundi 4792. Ideoq; desinente anno Mundi 3958. perinde vti Philo Hebræus iunior, quem Titus Annius edidit, (tantum abest, vt Pseudo-philonem ab Annio confictum eum credamus) solo triennio tardius iusto epocham Christi vulgarem signauit, quod quidem triennium si ex ijs rationibus, quas in quarto argumento adduximns, auferatur, certum est, exactissimè vulgarem CHRISTI epocham desinente anno Mundi 3955. incidere.

CAP. CCLXV.

Anno Mundi 3955. CHRISTVM incarnatum, colligitur etiam ex reuelatione, quam DEVS Moysi, teste Philone Hebræo tradidit.

Philo Iudæus in Genes. Latinè manuscriptus hæc verba refert. *Et dixit Moyses, Domine, ostende mihi, quanta quantitas temporis transijt, & quanta remansit. Et dixit ad eum Dominus. Istic mel; apex magnus, momenti plenitudo, & clari gutta, & omnia compleuit tempus.* QVATVOR *enim* SEMIS TRANSIERVNT, ET DVO SEMIS SVPERSVNT. Hæc Philo, & S. Paulus Galat. 4. *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.*

Atq; Esdræ. c. 14. v. 4. *Adduxi Moysen supra Montem Sina, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarraui ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta, & finem, & præcepi ei dicens. Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes.* Hactenus ille.

Mihi verò Moyses obijt exacto anno Mundi 2552. & Aduentus Messiæ, seu Christi Ducis Danieli reuelatus, finis videlicet sexaginta duarum septimanarum, annorum ab exitu verbi, vt iterum ædificetur Hierusalem, exactè terminatur anno incarnati Christi 14. (exacto videlicet anno à natiuitate Christi dudecimo cum docere cœpisset Christus) sicque anno Mundi 3969. qui conflatur si annis Mundi 3955. vsque ad incarnationem Christi iungas annos incarnati Christi 14.

Diuide itaque annos hos Mundi 3969. per septem, & erit vna integra pars plenitudinis temporum 567. annorum. Quatuor itaque istiusmodi partes cum dimidia, conflant annos Mundi 2551. cum dimidio, sicque exactè osten-

oſtendunt annum illum Mundi, qui mortem Moyſis proximè præceſſit. Deinde, duo ſemis, hoc eſt bis 567. & 283 ½. anni, conficiunt annos 1417 ½. qui quidem anni 2551 ½. annis coniuncti, conflant ad punctum ſupra dictum annum Mundi 3969. Chriſti incarnati 14. & nati 13. currentem. Vnde Lucæ c. 2. v. 41.

Et cum factus eſſet IESVS *annorum duodecim, aſcendit cum parentibus in Hieruſalem ſecundum conſuetudinem diei feſti in die ſolemni Paſchæ. Conſummatisq; diebus parentes eius eum quærentes inuenerunt illum in templo ſedentem, in medio doctorum. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius, & ipſe ait parentibus ſuis. In his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe. Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos. Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. Et* IESVS *proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines.* Hæc S. Lucas.

Non autem opinor futurum quenquam tam iniquum rerum æſtimatorem, vt offendatur, quod præter ſacras literas, & prophanos autores, etiam apocryphos allegem, qui in numerum ſacrarum literarum non ſunt recepti, hos etenim tales, quales ſunt in teſtimonium adduco, & plane confido, non defuturos interim etiam lectores, qui tantam temporum conuenientiam, & conſenſum ſacrorum, apocryhorum, & prophanorum autorum haud mediocriter ſint admiraturi.

INDEX CAPITVM.

Pp 34 *Tro-*

72 Ge-

206 Cur

231 Re-

INDEX
RERVM.

Bel-

ERRATA.

Maioris momenti sphalmata hæc sunt.

PAg. 3. v. 9. Platonij lege Plutonij. p. 38. v. 2. à fine post verba (ante meridiem) addantur hæc (horis 4. 4′5. 4″9. desiisse horis ante meridiem.) pag. 105. v. 1. incurrebat in diẽ proximum. Lege, incurrebat in diem sextum septimanæ, Pascha differebant in diem proximũ. Pag. 108. v. 15. Cyclum suum episcopalem. lege: cyclum sum Paschalem. Pag. 175. v. 8. Cum igitur hoc primo cycli: lege, hoc primo anno cycli. Pag. 207. v. vlt. mentem; lege, mensem.

Errata reliqua Orthographica Lector facilè emendabit, veluti pag. 5. v. 5. à fine κήνας, pro κύνας. pag. 116. v. 15. τεράκοντα pro τριάκοντα. pag. 130. v. 5. βασιλεύουσι pro βασιλεύουσι. pag. 193. v. 6. à fine ἡμεῖς pro ἡμᾶς. pag. 196. v. 20. ὁμῶν pro ὑμῶν. Pag. 220. v. 5. à fine pro σύματος: lege σώματος. pag. 14. v. 8. Archangelis pro Archangeli. pag. 66. v. 7. à fine Pausaq; pro Pansaque. pag. v. 21. Rome, pro Romæ. pag. 99 v. 16. ex pro &. pag. 162. v. 16. Mesbus pro Messibus. pag. 167. v. 3. Imperio pro Imperij. pag. 216. v. 10. à fine: nostraq; pro nostræque. &c.

FINIS.